



**Antidanaeus, sive Responsio, qua Lamberti Danaei figmenta  
et calumniae, quas contra Antisturmium D.D. Osiandri, in  
causa Coenae Dominicae, & Maiestatis Christi Hominis,  
impotenter euomuit, ex verbo Dei deteguntur & confutantur**

<https://hdl.handle.net/1874/424757>

# Antidanæus,

SIVE  
**RESPONSIO, QVA**  
LAMBERTI DANÆI FIG-  
MENTA ET CALVMNIAE, QVAS CONC-  
tra Antisturmum D. D. Ofiandri, in causa Cœna Dominica,  
& Maiestatis Christi Hominis, impotenter eu-  
muit, ex verbo Dei deleguntur &  
confutantur

PER  
**STEPHANVM GERLACHIVM,**  
S. Theologiae Doctorem & Professorem in Aca-  
demia Tübingensi,  
Cum Praefatione Collegij Theologici Tübingeris.



TUBINGÆ  
Excudebat Georgius Gruppenbachius,  
Anno 1580.

# COLLEGIVM STVDII

## THEOLOGICI TUBINGENSIS

Lecturis salutem.



ERIIS GEMITIBVS ET  
lachrymis Propheta David Psalmo quinqua-  
gesimo septimo: deplorat, animam suam in me-  
dio leonum dormire: filios hominum esse flam-  
mas: dentes eorum lanceas & sagittas: linguas  
autem gladios acutos. Non potuisse profecto  
David immanius ac fædus monstrum pingere, quam leones, qui  
pro lingua gladijs, pro dentibus lanceis veerentur: cum alio-  
quin, leo truculentissima sit bestia. Nec euidentius etiam pericu-  
lum suum oculis subijcere poterat, quam quod dicit, tam feras be-  
stias ipsum circum sedisse. Intellexit autem Propheta calumniato-  
res, qui in Aula Saulis, ipsi & existimationis & capitis pericu-  
lum creabant: qualis erat Doeg & similes: qui conuicijs, crimi-  
nationibus & mendacijs, linguas suas aduersus innocentissimum  
hominem armauerant. Quamuis autem non solus David & Da-  
niel, sed tota Christi Ecclesia, inter medios leones semper federit,  
quorum alij aperta vi, alij dolo & per cuniculos agerent, nocen-  
tiores tamen hostes habuit nunquam falsis doctoribus: qui corru-  
ptulis doctrinæ, ipsas etiam animas occidunt: & properea à Ser-  
uatore Domino, lupi rapaces appellantur. Nam alia bestie cru-  
ciatum homini ad breue tempus afferunt, quem tamen ea hora  
adimit, que & vitam: at illi innocentissimi lupi, tormenta morta-  
libus in omnem æternitatem duratura, conciliant.

Deinde ijdem cum falsa doctrina coiungunt calumniam: nam  
ita ingeniosus est pater eorum Sathan, ut linguas ipsorum ad-  
uersus Deum blasphemia, contra homines autem mendacijs &  
conuicijs armet. Haec sunt arma, hi gladij, quibus hoc genus ho-  
minum vitur: & contra Ecclesiam Dei, flamas infernales  
euomit. Quamuis autem nostrum hoc seculum multa eiusmodi  
porson-

## Præfatio.

portenta aluerit, & hodie alat, tamen in his maximè noxijs sunt  
Sacramentarij. Nam illi primi post renatum nostris temporibus  
Euangelium, in gregem Domini imperii doctrinæ corruptelis fece-  
runt; et Concordiam, quæ oblata anno trigesimo Confessione Augu-  
stana, inter pios, in omnē perpetuitatem sperabatur, secessione sua  
turbarunt; ut iam Romanenses clamitent, ne inter nos quidē de  
capitebus Religionis conuenire. Neq; verò illi dunt axat beatum  
illum cœtū piorum, maiorem in modū turbarunt, sed multos etiam  
homines, qui in lucrū Christo accessuri erant, ab ouili Domini, no-  
centissimis dentib; suis & pestilente doctrina abstraxerunt, ut illi  
etiam saniorem doctrinā damnent, ac nostros auersentur. At verò  
contrā pios Doctores, qui eos profligare à domo Dñi student, toto  
conatu insurgunt. Et nonnulli eorum, dudu publicis etiā scriptis  
docuerunt, se in ore gladios, & lanceas circumferre: ac eos aduer-  
sus pios toto conatu vibrare. Nam Principes quosdā Germania,   
ad persecutionem piorū Doctorum, publicis scriptis solicitarunt,  
quos tamen, cùm illi essent natura ad humanitatem et clementiam  
facili, nō modò non dociles habuerunt, sed ex vnguib. docuerunt,  
se esse leones, paratos ad creandum sinceris ministris verbi capi-  
ti vitæq; periculum. Iam verò ut præconibus illis exiliū et infamiam  
cōciliarent, nullū non genus hæresēw illis affinxerunt, à  
quibus tamen scirent, illos esse alienissimos: cùm vel sola scripta,  
ipso in toto Mundo excusent. Tanta est Sycophantarum rabies,  
ut per ipsam veritatē adigere gladios illos venenatos criminatio-  
num studeant. Sed cùm quis libros eorum legit accuratius, videt  
eos calumnijs, criminacionibus, puridissimis mendacijs ita refer-  
tos, ut si dentes illos Sycophanticos auferas, Argumentum libris  
ipsorum sustulisse videaris. Nam ut cateros prætereamus, quam  
multa et putida mendacia, rabula Danaeus, homo ex mendacijs pla-  
nè cōpositus, cōtra Dominum Lutherum, Brentiū, viros præcla-  
rē de Ecclesia Christi meritos attulit? Quām multa cōtra D. D.  
Osandrum & Pappum viros incomparabiles, monstrū illud effu-  
dit? Ut nemo sit, qui non animaduertat, os impurissimi hominis,

## Præfatio.

non solum flammis illis, quarum Dauid mentionem facit, sed etareis omnino, cum hac scriberet, arsisse. Et cum præclarissimum, quorum meminimus virorum lucubrations, in manibus omnium versentur, admiratione dignissimum est, illum Sycophantam, virulentia & nocendi cupiditate eò prouelium, ut ne suo quidem honori (si quis saltem est) parceret. Neq; enim apud animum suum cogitat, scripta optimorum virorum, perpetuam apud omnem posteritatem infamiam, ipsi conciliatura esse: cum nemo ita illiteratus sit, qui non ex illis intelligat, Danaeum ita esse mendacem, ut in mentiendo omni etiam colore, quem alioqui eiusmodi artifices afferunt, destituatur. Quantæ enim leuitatis est, quod Danaeus statim ab initio sui libelli scribit, eos qui primi hanc de cœna Domini questionem mouerint, verbis magis quam rebus dissensisse? cum scripta πλευνα Lutheri facis docuae, hanc non λογομαχια, sed de Christi hominis maiestate, & Docmini Testamento, rebus grauiissimis controversiam fuisse. Quam autem puridū est illud, quod Lutherum & Philippum cum Cingilio, Oecolampadio, Bullingerio, toto vita tempore, amicitiam sanctissimè coluisse, & animis coniunctissimis ad extremum usq; vitæ diem vixisse affuerare audet? cum lucubrations Lutheri & Philippi manifestè reclament. In primis autem Luberus, totam illam factionem Cinglianam, in eis libris, quos de verbis sacre cœna & Prophetis caelestibus scripsit, damnat: & aduersus eos acerrime dimicat. In quibus sane animorū nulla potest animaduerti coniunctio: quam tamen vanus Danaeus iactat. Deniq; quibus furijs ardet Danaeus, cum Brentium, senem furiosum & dolorantem, ambitione απλησω fascinatum, à vera humanitate alienum, scribere non dubitauit, cuius insignem doctrinam & sapientiam, moderationem animi singularem, sanctissimum peritus in contemptu gloria & rerum humanarum, summam denique humanitatem in ipsa senecta, non modo eius familiares, sed multi exteri, ac in his etiam Beza, & experti & admirari sunt?

## Præfatio.

sanctus? Quis ergo, cum Danaeus tam furenter contra Brentium, conuria sua euomat, non ex ynguibus leonem agnoscat? Quis non intelligat hunc hominem effrontem esse, qui non erubescat manifeste falsa pro veris toti mundo obtrudere?

Sed hæc Danaeus & ceteri etiam calumniatores, exemplo maiorum suorum pseudoapostolorum faciunt, qui D. Apostolum Paulum, in contemptum adducere studebant, ut eadem opera, doctrinam Euangelij suspectam redderent: imitaturi & Davidicos persecutores, quibus in sola calumnia, seu gladiis & armis, prædicta postea videbantur.

At vero horum leonum tanta est truculentia, ut non modo in homines, sed contra ipsum etiam seruatorem Dominū seuiant: cuius testamentum immanibus illis dentibus suis discerpunt. Paulæ enim contra expressa Christi verba affuerant, corpus Christi longissime à cena abesse: & ut dicitur ad παροντα distare dicerent, sublimatam aspectabilis cœli, ab his inferioribus, in medium afferūt. An non ad summum gradum temeritatis isti progressi sunt, qui quod Christus præsens esse affuerat, illi longissimus interuallis distare impudenter prohibent? Sed non modo illi blasphemisunt, sed et blasfematos, quos Ecclesia præstatissimos habet, rapere student. Nam Dominus suarum promissionum certitudinem, suo & corpore & sanguine obsignare nobis voluerit, ipsi nuda & inania signa esse volunt. Rapiunt ergo canes illi, quicquid in hoc sacro epulo, consolationis nobis præclarus ille testator reposuerat. Quid quod pie de hoc sacro sancto mysterio sentientes, & ea qua decet reuertentia cena Dominicæ videntes, Cyclopas, aliquototus esse dicunt? Quid quod impanatum nos Deum habere dicilant? quid quod excrementum diaboli doctrinam de presentia esse scribunt? ne quid adsummat calumniam & blasphemiam ipsis desit. Imò vero quædam de comeditione corporis Christi, tam terra afferunt, ut ab ijs & animis & calamis refugiant. Verum non satis est illis belluis, tenam discerpere, sed eadem opera, duas in Christo naturas, quas

## Præfatio.

ne vis quidem mortis & inferorū soluere poterat, quantum quidem in  
ipsis est, distractare conantur. Et si enim sedulò negant, se Cinglia-  
nos esse, tamen corpus Christi ita à nobis in cœlos sublatum esse dicunt,  
ut illud verum & essentiale, nulla omnino ratione nobiscum esse af-  
seuerent. At quid hoc est aliud, quam dimidiatum Christum, imo  
verò nullū cùm una natura Christum non constituant relinqueret?  
Nec potest eos ab infamia blasphemiae liberare integumentum, quo  
retinentur: quod caro Christi per energiam, & quasi influentiam quā-  
dam nobiscum sit: Sicut sol in his inferioribus esse dicitur. Hoc enim  
primum nullo fundamento Scripturæ faciunt. Deinde aliud est in-  
fluentia, aliud duarum naturarum unio. Nam cum solem apud  
nos esse dicimus, facile intelligitur, nos figuratè loqui, & ratiōnē  
indōxīw: quod corpus solis absens suo tamen calore, in hac inferior-  
ra operetur, re tamen ipsa scimus, ipsum solem longissimis à nobis  
interuallis abesse. Cum ergo illi hanc similitudinem, ad unionem  
naturarum accommodant, disertè ostendunt, intelligere se figuratè  
dunt taxat eas, non rēvera, ut dīcōdōz iunctas esse.

Præterea ambae in Christo naturæ diligenter considerata offen-  
dunt, eos perniciosum dogma afferre, & naturas in Christo diuel-  
lere. Nam ve pauca dunt taxat ex multis, quæ eis obici poterant  
afferamus. Dogma ipsorum est, λόγος ubique esse: humanam at-  
tem naturam cœlo capi, & includi: (sic enim illi verba Scriptura  
deprauant) unionem verò naturarum, per diffusionem quandam  
diuinæ probare conantur. Nam cùm Diuinitas omnia impletat  
humanam etiam naturam, quæ in cœlis est, attingere statuerit.  
Quod si λόγος diffusionem quandam, quod ipsi ponunt, admitteret,  
non nihil coloris haberet ipsorum argumentum: at cùm hoc sit  
manifestum τὸν διαγράφεια, & τὸν fit eorum omnis collectio.  
Sublatæ enim extensione diuinæ naturæ, & nexus argumenti, &  
unio naturarum ipsis perit. Iam verò quod nihil tale in diuina  
natura statui debeat, certum est: cùm λόγος & spiritus sim-  
plicissimus sit, & partem extra partem non habeat: & nullo modo

## Præfatio.

extensionem ealem admittat. Quomodo ergo λόγος, qui apud nos est, cum humana natura longissime distante vnietur? Contra autem cum humana Christi natura, ad dextram Dei consideratur, ea autem non modo in calo, sed eto vniuerso sit, quomodo audaces illi, diuellere eam, in his inferioribus à natura diuina audent. Et cum λόγος sit dextra Dei, per quem omnia facta sunt, necesse est eos aut negare λόγον esse apud nos: aut insciari humanam naturam sedere ad dextram Patris: aut concedere, apud nos utramque verè unitam esse: cum autem illud primum negatum ipsi etiam damnent, alterum nemo pius admittat, necesse est, vid quod tertio loco ponebatur, certum sit & indubitatum. Nam quod quidam, ut ex his angustijs, quibus hoc argumento includuntur, elabili possint, dextram Dei locum esse affirmant: contra omnes rationes Theologicas assertur: nisi forte anthropomorphitæ esse velimus, & dicere, Deum corpore esse præditum. Denique cum concedere cogantur, Deum omnes res creatas in se habere, ira ut eas non eminus inspiciat, sed coram conservet, vegetet, motum, vim & efficitatem præbeat, quomodo negabunt, λόγον Dei filium in his terris, humanae naturæ vera & essentiali praesentia destitutum: cum tamen eam in unionem persona assumpserit? quo sane coniunctionis vinculo, nullum aliud potest existere artius. At vero isti nouatores, de naturarum in Christo vniione, ne ea quidem ratione, qua in terris & docuit, & miracula edidit, recte pronunciant: ita enim humanam eius naturam eneruatam faciunt, ut in edendis miraculis, præter voluntatem & vocem, vim nullam obtineat. Quis ergo non videat, leones illos ac lupos nocentissimos, suis dentibus, non modo ut supra diximus, homines perire, sed etiam duas naturas in Christo, conari diuellere: quarum si una auferatur, nemo negauerit, totum Christum ablatum esse. Quod si ergo rusticani homines, cum vident lupum ouiculam à grege raptam auferre, omni telorum genere eum insequuntur, cur nos eos lupos ferremus, qui Agnum illum Dei, ab ouili rapere, suis disputationibus conantur? Etenim pastor amissa per rapacitatem lupi una ove, iacturam reliquarum nullam facie: nos autem amissi hunc agno, mediatorem, fratrem, Sacerdotem, liberatorem, perruptorem & vindicem.

## Præfatio.

vindicem amitteremus. Imò cùm in eo solo Thesauri Ecclesiæ omnes re-  
posui sint, nisi de summa periclitari voluerimus, toto conatu hoc agendum  
est, ne astu diaboli tanto bono priuemur. Quanto studio nascente Ecclesia  
noui Testamenti, Apostoli & Patres, lupis illis Cerintho, Arrio, Ma-  
nichæo, Nestorio, qui & ipsi partim negare, partim autem disperene-  
turas in Christo conabantur, obuiam ibant? quorum ea in re diligentia  
ita pro salute Ecclesia evigilauit, ut ne unius quidem vocabuli opere  
iacturam vellent facere: ne eum amitterent, quo amissis, Ecclesia de diui-  
tijs suis omnibus periclitaretur. Laude ergo dignissimi sunt, qui curam  
illam diligentiamq; antiquitat is imitantur, & in eo sedulò elaborant. Ne  
Religio sartatellaq; contra tot hostes veritatis conseruetur. Nobiscum  
maiorem in modum probatur, studium ac pius zelus clarissimi D. Docto-  
ris Stephani Gerlachij, qui cùm videret Danicum Cinglianum, cùm in  
multos viros præstantissimos, tum verò pietate & insigni doctrina pre-  
cellentem virum, D. D. Lucam Ofiandrum: praterea etiam eruditione  
eximia præditum Doctorem Pappum, morsu Sycophantico grassari: imò  
ne parcere quidem maiestati hominis Christi, magno animo se isti befla  
opposuit, ac solidis fundamentis Scripturarum, Φλωρίας ipsius refuta-  
uit. Quem sanè librum si boni viri accuratè legerint, intelligente, quans  
figmentorum, criminacionum, calumniarum, blasphemiarum, Danus  
venenato suo scripto, toti mundo, pro veritate obrudat. Haud dubie tū-  
am unā nobiscum preces coniuncturi ad Christum Opt: Max: sunt, &  
Ecclesiam suam, quæ inter multos leones, tantamq; rabiem impio-  
rum sedet, & gloriam in primis nominis sui, contra  
tot aduersarios clementer  
tueatur.

A M E N.

# Antidanæus,

S I V E

## RESPONSIO, QVA

LAMBERTI DANÆI FIG-  
MENTA ET CALVMNIAE, QVAS CON-  
tra Antisturmum D.D. Osiandri, in causa Cœna Dominicæ &  
Maiestatis Christi Hominis, impotenter euomuit, ex verbo  
Dei deteguntur & confutantur.

**A**LLATVS IAM PRIDEM AD NOS EST,  
Danæe, Antiosiander tuus: quem cum vi-  
derem à studiosis passim legi: & diu post  
intelligerem, D. D. Osiandrum grauioribus  
negotijs distineri, quām vt tuis ineptijs  
respondere ipsi liberet: ego, ne ēπινιορ ante  
victoriā caneres, & illum iam victum tibi cedere (quod  
falso de D. D. Pappo tibi, vt video, persuaseras) putares,  
respondendum tibi esse iudicavi: vt quibus figmentis, veris  
tati illudere volueris, studiosi cognoscerent. Placuit autem  
omnia, vel pleraq; tui libelli, responso inserere, vt ex op-  
positis facilius cognosci possit, vtri veritatis honos magis  
cordifuerit.

Mirabuntur omnes, Luca Osiander, quid causa sit, quam-  
obrem non modo certamen illud inter Sturmum & Pappum  
IAM EXTINGVM renouare volueris: sed eti-  
am cedenti Pappo ipse succenturiator acceſſeris. Neq; enim  
vel in Pappo (quem tu tantopere laudas) parū virium ad  
se defendendum fuisse quispiam ex tuo testimonio existima-

A

bit:

## 2 Responso pro Antisturmio D.D.

bit: vel quicquam nouum ad hanc causam TOTIES IAM  
VICTAM perorandam tibi in mentem venisse, ex tuis  
scriptis iudicabit.

Vt, quis Apologiae tuae minimæ Christianæ perpetuus  
tenor futurus esset, non obscurè in limine statim ostendes  
res: à figuris eam ordiri tibi placuit. Quomodo enim  
D. D. Osiander IAM EXTINCTVM CER-  
TAMENT RENOVARIT, quod modo inter  
Sturmium & Pappum initum erat: & quamprimum seni-  
lis ille sermo Sturmij imò ad nos peruenit, ei statim se pu-  
blico scripto D. D. Osiander (D. Pappo suas partes, quas  
neutiquam deserturus erat, relinquens) opposuit. Quo-  
modo ergò extinctum: quomodo renouatum: quodcum  
modo ortum erat: An non Sturmius ideo hanc vocem  
suam septuagenariam per totam Europam commemorari  
voluit, vt ne certamen istud initio scholasticum, quod intra  
priatos parietes facile componi poterat, planè extingueret-  
tur? Sed dicas.

Cedente iam Pappo extinctum, videlicet, erat: cui tu Osi-  
ander succenturiator acceſſisti.

Somniauit, opinor, Danæus, Doctorem Pappum ad  
primam istius senilis sermonis vocem ita exhorruisse, vt  
statim palæstrā, omnibus viribus destitutus, excesserit. At  
Somnium hoc tuum vanitatis coarguunt defensiones Pape-  
pi: quæ, quantæ in ipso vires ad sé defendendum sint, &  
quæ nullo modo bellum mouenti cesserit, luculenter  
ostendunt. Nec ei Osiander succenturiator esse potuit vel  
voluit: sed Pappo suam propriam stationem relinquens,  
ipse communem veritatis & concordie causam, quam Stur-  
mius hostiliter impetierat, defendendam suscepit. Quare  
non est, vt quicquam mireris, quod non extinctum, sed num  
modo

# Osiandri, contra Lamb. Danæum. 3

modo coeptum certamen, non renouare, sed orienti resiste-  
re: nec cedenti Pappo, sed ad bellum paranti se, opem ferre,  
non tam in propria, quam communi causa, voluerit. At  
non sine causa miretur quis, vt tu Doctori Osiandro, id vis-  
tio vertere ausus fueris, quod tibi velut iustum & licitum  
sumperis. An non enim hac quidem vice cedenti Sturmio,  
& pessimæ causæ diffidenti, tu succenturiator, & quidem  
ex composito accessisti? Ex quo enim Osiandri Antistitius  
minus prodij, per Sturmij familiares fama percrebuit, re-  
spondendi partes Geneuensi cuidam demandatas esse.  
Quod de Osiandro ostendere nulla ratione potes, vt qui  
Pappo ea de re, ne verbum quidem, communicarit. Verum  
cur hoctibi non liceret: cum multa, quæ NON SVNT,  
fingere tibi libeat: nec te pudeat fabulari, nostram causam  
se penumero iam victam esse: cum ipsa colloquiorum acta  
manifestæ falsitatis conuincere te possint.

Itaque verum ambitioni potius, an alij animi morbo, tuum  
hoc coeptum eribuendum sit, ipse videris: certè qui tuum libel-  
lum diligentius perpenderunt, hoc facile agnoscunt, nostras  
omnes Ecclesias per latus optimi illius & senis, & viri, Ioan-  
nis Sturmij, atrocissime abs te peti. Sed huiusmodi nimirum  
ingenij tui specimen edere cupiebas, ne Andrea Osiandro  
dissimilis esses, vel eo, inxta vetus illud, natus nōq[ue] nō  
nō p[ro]p[ter]a, melior fortasse videreris.

Quod Regius Propheta de Christo Saluatore dixit: Psal. 69.  
Zelus domustuæ comedit me, & opprobria opprobrantia  
um tibi ceciderunt super me: illud etiam in veris ipsius  
membris, non raro complementum sortitur. Non enim, vt  
tu calumniaris, ambitione vel alio animi morbo, sed zelo  
asserendæ & cohonestandæ veritatis, cui Sturmius vim fe-  
cerat, commotus Osiander Antisturmium scripsit. Nec vt

## 4 Responso pro Antisturmio D.D.

Ecclesiastis vestras, (quarum saluti ex animo consultum cū pimus) impeteret: sed ut senilis istius sermonis, (quo fucum imperitis & simplicioribus facere studuit) imposturam reuelaret: vestros errores, quibus multas Ecclesiastis deformatis, redargueret: & falsos Doctores, luporum in star Christi ouile inquietantes, impugnaret. Hoc tibi scilicet est *κακόν θέματα* specimen edere. Verum tantopere tibi dolere hoc, ut etiam prae stomacho & animi impotentia a corde uitios non abstineas, non mirum: cum lupi a pastore, se obseruari, inclamari & repelli, nunquam non ægro animo ferant. Et quid nouum, si Doctor Osiander Praeceptoris sui Christi exemplum & mandatum secutus, eandem, quam ipse mercedem retulit, conuictum nimirum & opprobrium ab ihs, qui verba veritatis audire non sustinent. Quid enim ad rem faciebat, Osiandrum, *κακού θέματα* *κόρακον θέματα* appellare: siquidem filio cum patris errore, (quem etiam publicis scriptis damnauit) ut etiam cum alijs nihil commune sit: Et praeter errorem de Iustificatione, non habeas, quod in Andrea Osiandro merito culpare possis: Vide autem, neutru conuictando, calumniando, & teneram iuuentutem seducendo (quorum operum pudendum specimen in hoc tuo paruo libello edidisti) non tantum *κακά θέματα* *κόρακα*, sed etiam τὰ διαβόλων γένη με haberi & dici merearis.

Nunc à persona Osiandri (quam iniquis modis deformare, & in odium lectoris adducere, conatus es) ad rem ipsam translaturus, ne quid de cumulo calumniarum & vistorum tibi periret, simulq[ue] indicium dares, non melior te fide, rem ipsam tractaturum, subiçis.

Nam quod de Ioannis Pappi summa eruditione prædi-  
cas, eiusmodi est, ut ex illius ipsius scriptis melius refutari,  
quam tua illa laude, & assentatione confirmari possit. Quin  
etiam

# Osiandri, contra Lamb. Danæum.

5

nam in hac tua Pappi prædicatione illud verè praefas,  
quod dicitur: Mutuò muli scabunt.

Summam eruditionem Osiander Pappo non tribuerat: sed eum egregie doctum appellarat propter excellentia dona, quibus illum DEVS præ alijs multis ornauit: quæ ille in ipso agnoscens, ac moderatè prædicans, non ex vlla alsentatione, sed vt famam proximi contra os obrectatoris vindicaret, tuam reprehensionem effugere non potuit. In hoc autem si peccauit Osiander: & illud, quod virulenter scribis, Mutuò muli scabunt, præstisit: quo in numero tuum illud censeri debet, quod Sturmum summis laudibus (quas ipsi in literis humanioribus, & Philosophia deberi agnoscimus) extollis: Oecolampodium & Caluinum eruſtiſſimos, & Vuolſium vndiquaq; doctiſſimum, prædiſcas: An non & hoc adulari est? An non hīc quoq; verē dicitur: Mutuò muli scabunt? Verum istorum hominum prop̄e domestica hæc insolentia & arrogantia est, vt pro mulis & alini habeant vniuersos, qui verbo Dei fidem habere, & falsa ipsorum dogmata reſcere didicerunt: doctiſſimos autem prædicent, qui Cingliſ ſomnia & Caluini figmenta ſuſcipiunt & admirantur, licet alioquin mulis & alini vix comparandi ſint.

Famofiſſimi igitur illius tui libelli partes tres mihi obſeruafſe videor, Luca Osiander: Vnam, in qua de damnatione noſtrarum, id eſc, orthodoxarum, quæ vbiq; terrarum diffuſe ſunt. Ecclefiarum agis, quam in nouo quodam nouæ doctrina corpore, à ſex yeltris conſcripto, fieri negas, quantumuis Do- grinam iſpſam (quæ in illis Ecclefij palam ac publicè com- muni omnium conſenſu docetur ac defenditur) tanquam à verò aberrantem illi dannauerint. Altera pars eſc ea, in qua de ipſo noſtro dogmate diſputas, quod vbiquitati ſeu vbi-

## 6 Responso pro Antisturmio D.D.

que præsentia corporis Christi à vobis inuidie opponitur.  
Tertia deniq; est ea, in qua tu nimurum aliotrum p[ro]pono,  
id est, alienæ vitæ grauiſſimus censor, Sturmio Stur-  
mio, qualis sit, tanquam in ſpeculo tandem ostendit. Nos igi-  
tur duas priores duntaxat tui libelli partes examinabimus.  
Tertiam autem omittemus, quæ cùm tota in maledicendo po-  
ſita fit, utinam te ipsum illius fatis pudeat, quam occunque  
videaris in quendam tui libelli velut angulum deruſiſſe: ta-  
men per singulas non modò pagellas, ſed etiam pagellarum  
ſententias fuſa appetat. Hanc igitur poſtremam libelli tui  
partem Sturmio reliquam, cuius vita illa præclarè in luce  
hominum, atq; in media ipſa Dei Eccleſia per ſepuagintā  
iam annos acta, tot prætantissimis hominum omnis ordinis  
& generis testimonij collaudata, tot illuſtrissimorū & Ger-  
maniae & Galliae & Angliae Principum, (quibus placuisse  
certè, Oſander, non ultima quædam laus eſt) tot, inquam,  
publicis, priuatisq; laudibus ornata, facile tuas columnias  
refutat. Ipſe Sturmius pro ſe dicet, Orator optimus, quam  
tu eius laudem, cùm cæteras omnes magnâ inuidia ſic illi  
detraberet, ut penè ne in ſubſellijs quidem Grammaticel-  
lorum locum ei velles relictum, agnoscere tamē co-  
dus es.

Famolum libellum nemo vir bonus eum dicet, qui  
cripto opponitur famolissimo, quo non tam priuatis homi-  
nibus, quæ Ecclesiæ Orthodoxæ & Reipublicæ Christia-  
næ luminibus & proceribus obtrectatur. Eiusmodi ſunt  
Antipappi Sturmij, quibus non tantum pefundare ſtuduit  
optimum & eruditio[n]e prætantem virum D. D. Pappum:  
ſed per latu[s] ipſius, etiam Principibus & Theologis Augu-  
ſtanæ Confessionis detrahere, quod p[ro]m[is]um, utillissimum, &  
ſummum

# Osiandri, contra Lamb. Danæum. 7

summ' necessarium negotium Concordiæ & syncera  
religionis agendum suscepérunt. Hanc tu priuati hominis  
dicacitatem in tot illustres & claras personas ferendam cen-  
sēs & non opposito scripto retundendam : sed vobis nihil  
pensi est, etiam si cœlum terræ misceatur, modo yestra pro-  
fana doctrina, etiam cum aliorum grauissima iniuria, pa-  
tronis non careat. Et ne quicquam in toto libello tuo recte  
& candid'e, sed cuncta peruers'e agas : partitionem Antis-  
turmij de industria deprauras. Nam cum Osiander in prima  
eius parte, rationes Sturmij, quibus obtinere se posse puta-  
uit, Caluinismum non esse damnandum, solidissim'e con-  
futet tu calumniaris, de damnatione agi Ecclesiarum ves-  
trorum, quas vbiq' terrarum diffusas esse nugaris : cum tas-  
men Asiaticæ & Africanæ Ecclesiæ, tota quoque Græcia  
vestræ factionis decreta ignorent: nisi forte Nestorij Patris  
archæ vestri progenies illis in partibus reliqua sit. Verun-  
tamen quis ignorat, quantum discrimin sit inter falsam dos-  
trinam & Ecclesiam, in cuius cathedra, illa proponitur?  
sed de hoc dicetur infrā. Nec formula Concordiæ, vt tibi  
videtur, nouum nouæ doctrinæ corpus est, à paucis con-  
fectum : sed explicationem quarundam controversiarum,  
secundum regulam Propheticæ & Apostolicæ Scripturæ,  
& pia' vetustatis consensum, à plurimis orthodoxis Eccles-  
ijs elaboratam, continet. IN SECUNDA VERO  
PART'E vestrorum dogmatum impietatem ostendit:  
quam tu dolos'e mutilas, quasi tantum de ubiquitate, (quam  
a nostris inuestigam fingis) & non etiam de alijs summis ar-  
ticulis agat. Tertio cum Sturmius seipsum ignoret, & alioz  
rum laboribus iniqu'e obtréciet: ad speculum adducitur, vt  
qualis vir sit, se ipsum agnoscat, & post hac suo pede metiri  
se discat. In qua certe parte, Osiander & Moſea πονητος vel  
males,

## 8 *Responsio pro Antisturmio D. D.*

maledicium non agit, cūm Christi Prophetarum & Apostolorum exemplum & mandatum securus, ea tantum notari, quæ Ecclesiam scire necesse erat: fidelis quoque pastoris proprium officium sit, præter vitiorum notationem, lupos manifestare, & falsos doctores, malosque operarios, vt possint caueri, nominare. Quare huius postremæ partis, Osiandrum minime pudere, sed eam propterea Epilogo reseruare debuit, vt omnes, quibus Sturmius senili sua voce impone re voluit, qualis in Theologia vir sit, intelligerent. Quod quidem ad ipsius vitam, in schola & politica hominum conuersatione actam attinet: nihil ipsi detractum, sed laudem hanc integrum & saluam manere ei volumus: vt cuius industria & eruditio præstantium virorum encomia meruerit. Quam vero religiose in media Ecclesia Dei peracta sit, nil attinet dicere: quem constat plurimis annis ministrum Ecclesiae neglexisse, eoque non paruum studiosæ iuentuti scandalum dedisse. Cæteris ipsius laudibus, adeo nihil voluit derogatum Osiander, vt eas libenter agnoscat & prædicet. Diabolica igitur calumnia est, quod scribere non erubescis, Osiandrum præter unam præclaræ actæ vietæ laudem, cæteras omnes magna iniuria sic illi detrahere, vt pene ne in subsellij quidem Grammaticorum locum ei relictum velit: cum plane diuersum Antisturmius doceat. Nam pag. 4. eximiā scientiam artium dicendi, pag. 5. eruditionem & merita erga bonas literas, ei tribuit, pag. 30. literatimum vocat, pag. 31. quod plurimum inter alios in docenda Grammatica, Dialectica & Rhetorica excellat: contigisse ipsi linguarum cognitionem, quibus accesserit aliarum partium Philosophia E X I M I A scientia, pag. 32. doctissimum Rhetorem appellat. Hæc si Osiander Sturmio tribuit, & vere in ipso agnoscit: quomodo ne in subsellij quis

# Osiandri, contra Lamb. Danæum.

9

Ijs quidem Grammaticellorum vix ei locum relinquit:  
Verum in homine isto tanta libido calumniandi regnat, vt  
quid dicat, non animaduertat.

Sed illud tamen te obiter, Luca Osiander, monebo, omnibus,  
qui Antisturmium tuum legerant, istud cum primis mirum esse  
visum, quod abs te temeritatem accusetur Sturmius, quasi præ-  
ter boni viri officium, & præter exempla vetustorum Christia-  
norum, cuius causæ patrocinium suscepit. Egregia sane homi-  
nis Christiani accusatio, & magnum scelus, quod vir Christianus  
Christi Seruatoris, Regis, & Domini sui, atq; etiam omnium no-  
strorum, Dei sacratissimam doctrinam, pro mensura doni acce-  
pti, ueri sic ausus.

Iam demum te veri quid dicere, cui piam videri posset:  
sed & hoc cum calumnia coniunctum esse, ostendam. Ut  
enim pius & laudabile ducimus, hominem Christianum,  
cuiuscunq; professionis vel ordinis sit, pro fide Christiana  
contra paganos, Iudeos & hæreticos, voce & scriptis, si dos-  
no isto valeat, fortiter pugnare: ita nullo modo reprehens-  
sus Sturmius, quod præter exempla vetustatis, cum alter-  
tius quam Theologicæ professionis sit, de sacris tamen scri-  
bere voluerit: sed quod rerum istorum imperitus, & in  
Theologicis tractandis ineptus, (quod verissime de ipso de-  
monstrarunt Osiander & Pappus) tamen sibi harum con-  
trouersiarum, & quidem grauisimarum dijudicationem  
arroganter sumens, de ijs satistemerè, contra Principum &  
Theologorum Augustanæ Confessionis Orthodoxam do-  
ctrinam pronunciare: nec Christi Seruatoris sacratissimam  
doctrinam (vt tibi, veritati iniuriam facienti, videtur) sed  
vestras blasphemias in eius maiestatem defendere, ausus  
fuerit. Idcirco etiam ab Osiandro ad scholam Philosophis  
cam, remittitur, vt iuuentutem instituendo in literis huma-  
nioribus

B

10    *Responsio pro Antisturmio D.D.*

nioribus dono diuinitus concessa ben'e vtatur. Controversias vero religionis, (quod donum ipsi datu non sit) explicare omittat: memor istius triti: Quam quisq; nouit artem, in hac se exerceat: ne sibi incognita arrogando, cum dedecore audire cogatur: Tutor non ultra crepidam. Sed rationes videamus, quibus errorum vestrorum patrono vicissim patrocinium ferre volueris.

Nonne, (inquis) ex præcepto Petri id fieri oportuit? Non ne fidei sue rationem quemlibet Christianum reddere necesse est, seu voce, seu etiam, cum opus est scriptis? An vero omnis præter te unum, mutos & pisces esse voles, Osiander? vobis veritatem oppugnare licebit, nobis autem eam propugnare minime concedendum est, quo sit facilior vestra aduersus non respondentis victoria? Quid igitur peccauit vir Christianus, qui in tantis Ecclesiarum Germanicarum distinctionibus & moribus, pro suo in Ecclesiam Dei studio, remedium afferre teneauit.

Quod nam hinc nobis præceptum, Danæe, obiicit? Illud 1. Pet. 4. opinor: Ut quisq; accepit donum, ita aliis in alium illud misistrantes, ut boni dispensatores variae gratiae Dei, si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei.

Hoc Apostolicum. Si diligenter reputasset Sturmius, nunquam eò se pertrahi passus fuisset, ut donum, quod ipse non accepit, sibi temerè arrogasset, pronunciandi nimirum de rebus grauiissimis, quas ipse non didicisset: & de libro Concordia, quem ipse se nunquam vidisse fatetur, iudicandi. Rom. 12. Huius Osiander illum monet, ut non sapere sup'r'a, qu' am sapere oportet, nouerit. Quid vero de eloquijs Dei nobis profert Sturmius? Hic penitus fer'e Apostolici præcepti obscuritus esse videtur. Nam in tribus Antipappis verbosissime scriptis, paucissima afferuntur, quae ad præsentem controvuersiam faciant. Deinde & illud attendas: aliud esse fidei suæ

## Osiandri, contra Lamb. Danæum. II

suræ rationem reddere petetibus: & aliud religionis contro-  
versias explicare: quorum illud cuiusuis Christiani opus  
est, si ab ipso petatur: hoc vero paucissimis datum. At fidei  
rationem à Sturmio Pappus non petierat: multò minus ne-  
cessitatem imposuerat ei, Caluinismum contra fidem Or-  
thodoxam defendendi. Verum ipse qualemcunq; occasio-  
nem ex thesibus Pappi arripiens, suum virus, quod diu alue-  
rat, in doctrinam sinceram & nostros euomuit. Quam  
enim veritatem in Thesibus suis oppugnat Pappus, vt eam  
propugnare opus fuerit Sturmio? An quod errores verbo  
Dei repugnantes non sint damnandi? Hæc sc; illa Diabo-  
lica veritas est, qua hominibus persuasa, quosuis errores  
& hæreses absq; negotio, Satan mundo obtrudere posset.

Et quid ridiculum magis, qu'ram te nobis Sturmium  
prædicare, quasi ipse Ecclesijs nostris distractione laboran-  
tibus remedium afferre tentauerit. An tu eum præstare  
hoc posse somnias, qui omnem propè ætatem in profanis  
terendis consumsit: artem spiritualiter medendi non didi-  
cit? Et sacras conciones tot annis fastidiendo, seipsum ne-  
glexit? Quem igitur tu medicum nobis prædictas: qui vul-  
nus Ecclesiae & scholæ Argentinensis iam dudum coales-  
cere incipiens, refricaret? aut qui virus Caluini propinan-  
do Ecclesiarum nostrarum morbum augeret? Hoccine est  
mederi morbis? sanitatem recipientibus mortem persuade-  
re velle? Peccauit igitur Sturmius, quod more Empirico-  
rum, eam sibi artem vendicauit, cuius reuera ignarus est.  
Sed nunc exempla videamus, quibus te Sturmio laboran-  
ti optulari posse sperasti.

Nam (ais) ut Appollos illum prætermittam, qui cum mi-  
nimè esset ex duodecim Apostolis unus, tamen constanter pro  
Euangelij doctrina differuit (ad eo ut Epistola ad Hebraeos

12 *Responsio pro Antisturmio D. D.*

scripta, eius esse fortasse videri posset) propterea q̄ summopere  
ab ipso Dei Spiritu laudatur: ut Aquilam & Priscillam omit-  
tam, quos tamen Paulus οὐεγγές appellat: ut, Andronicum  
& Iuniam, quos Paulus ait, fuisse insignes inter Apostolos: quis  
nescit (si modò primis labris historiam Ecclesiasticam attigit)  
cuiusvis ordinis doctos viros Christianos contra Hereticos pro  
fide Christiana pugnasse, etiam editis scriptis? Aristides ille,  
qui (ut scribit Hieronymus) professione Philosophus fuit,  
Adriano Imperatori fidei Christianæ Apologiam obtulit. Post  
Aristidem Iustinus Martyr etiam, & ipse Philosophus, contra  
Tryphonem Iudeum hominem, de religione Christiana scriptus:  
Idem Antonino Imperatori duplicem Apologiam nuncupauit:  
Rhodon quoque minimè Theologiam professus, tamen contra  
Marcionitas præclarum atq; veile Ecclesie opus edidit, &c.  
Scriptis temporibus Augustini, pro sua secta defensione Cre-  
sconius quidam, professione Grammaticus. Cresconio respondit  
Augustinus, neq; ei ritio verit, quod cum esset alcerius pro-  
fessionis, tamen Christianus de Christiana fide scripsisset, si mos  
dō rē scripsisset. Neq; enim quis dicat, sed quid dicatur, ait  
idem Augustinus, animaduertendum est.

Quid hic audio? An quia Apollos, Aquila, Andronis-  
eus & Iunias, ex numero duodecim Apostolorum non  
fuerunt, ideo professione Theologi non erant? quæ hæc est  
Danæa Dialectica: certè hos omnes publico docendi mu-  
nere in Ecclesia Christi functos fuisse, constat. Hæc enim  
non tantum Apostolos, sed etiam Prophetas, Evangelistas,  
Pastores, & Doctores, tum temporis habuit, quos omnes in  
ordinem Theologorum censere necesse est. De Priscilla  
muliere, forte dubium esse posset: sed & hanc, Dei viam  
Acto. 18. alijs exposuisse, ex Actis patet. Et Paulus eam οὐεγγόπι  
Rom. 16. Christo Iesu appellat, quia procul dubio in negotio Evan-  
gelij

# Osiandri, contra Lamb. Danæum. 13

geli⁹ ei cooperata est: quemadmodum & Philippo Euangeli⁹  
lista, quatuor filiæ prophetantes fuerunt. Sed quid hæc ad  
Sturmium? Num & ipse, vt Saul, inter Prophetas, Aposto-  
los & Doctores Ecclesiæ? Nec quicquam etiam sequentia  
exempla ex antiquitate prolata, causam eius iuuant, cum  
nemo sanæ mentis vituperet eum, qui fidei Christianæ con-  
tra Iudæos, Gentiles & Hæreticos, testimonium ferat: vel  
etiam absq; aduersario de religione Christiana verè & p̄e  
scribat, quod illi, quos commemoras, præstiterunt. Verum  
vnicum Cresconij exemplum negotio præsenti quadrat.

Vt enim is pro hæresis suæ defensione scripsit: ita pro  
vestra secta Sturmius. Et quod in illo reprehendit Augus-  
tinus: eiusdem Osiander Sturmium conuincit, de rebus  
nimirum & controversijs Theologicis imperite quod scri-  
perit. Sed obijcis,

*Que tua ista es, quæso, tyrannis aut inuidentia, nolle  
prolatum esse, si quid à Domino Deo alijs reuelatum es, quod  
ipſe ignores, & quod ille Dei ex verbo te docere posſit?*

Bona verba quæso Danæe, & cum mansuetudine eo  
dissere nobis, quod nam sit istud à Domino reuelatum  
Sturmio, quod Osiander ignoret, vt & ipsi mysterij huius  
participes siamus: Forte est istud Cyclopicum siue Epicus-  
reum dogma, Ecclesiæ Christi ignotum: Non esse damnans  
dos errores verbo Dei repugnantes: (Hoc enim in Pappi  
Thesibus οὐ πόμπεον erat) & omnibus pijs execrandum Cal-  
vinismum pro veritate acceptandum esse: Aliam hac reue-  
lationem, ia Antipappis non reperio: & hanc, quia accipere  
verbo Dei prohibiti recusamus, tyranni & inuidi abs te au-  
dimus, ac si lupus pastorem tyrannidis & inuiditiae ac-  
cuset, quod suis conatibus obsistere inuigilet. Eiusmodi tua,  
sanæ bella, querimonia est.

14 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

*Et ut vetera illa exempla pratormitam, quis nescit, hoc nostro seculo renascente Ecclesia, Joachimum Vadianum, Joachimum Camerarium, & alios plerosq; alias omnino, quam Theologicam artem professos, de religione Christiana fæliciter veili terq; scripsisse?*

Si quid Vadianus, Camerarius, vel alius quiuis, licet Theologicam scientiam non professus, de religione Christiana pie & verè commentatus est, non improbamus, sed cum laude ipsius accipimus. Quām vero vtiliter Vadianus in Theologicis versatus sit, ipsius monumenta testantur, quibus errores Cinglii, nec etiam obscurè Nestorij Hæresi, tutari conatus est.

*Praterea ut quamvis hæc causa non satis valeat, necessarijs causis adductus Sturmius, Pappo iura Academie omnis violanti se se pro ratione muneri, ut pote Rector (non autem ut tu iniuriosè vocas, Dictator) opposuit, quemadmodum in illo suo triplici Antipappo eruditissimo scripto Sturmius verissimè demonstrauit. Neq; etiam Aduersarij insolentia passa es illum placide hanc causam agere, sed in publicum theatum & certamen etiam inuitum illum pertraxit. Peccavit ne ergo, quia veritatem doctrina Christi defendit? pacem Ecclesiarum conseruavit, & muneris sibi à Repub. iam pridem demandati dignitatem retinuit: Argentinensis schola iuria, ac tranquillitatem forti, constantiq; animo ipse vir senex contra nouorum Theologorum, tanquam Adolescentium oratorum furorem tutatus es?*

Hic te insignem iniuriam optimo viro facere, & falsissimum testimonium in ipsum absq; pudore dicere, non tantum ipsius defensiones testantur, sed idem quoq; (si opus esset) confirmaret amplissimi Scholariae & Syncerion pars Professorum Argentinensium. Et quæ, rogo, alia causa tam

tam vrgens Sturmio fuit, primum Antipappum dictandi, nisi quod in damnandorum errorum numerum, Calvinismum quoque censeri non male suspicatus est. Hoc ipsum opinor pupugit: hoc ipsum in publicum certamen protrahit; hoc ei arma debacchandi in nostros ministrauit. Quos modo enim à Pappo inuitus in publicum theatrum personatus putabitur, de quo ille ipse, (etiam Sturmio teste in Epistola ad Scholarchas) conquestus est, quod cum iam multos annos à Theologicis Disputationibus absfuerit, huic interesse voluerit? Haec ne est illa insolentia & violentia Pappi? Clamores eius inuitò sustinere, quem abesse malueret? Peccauit igitur Sturmius, quod veritatem doctrinæ Christi, Ecclesias Orthodoxas, Principes & Theologos sinceros oppugnauit: & vestras blasphemias in filium hominis defendit: nec ut tu nugaris, iura & tranquillitatem scholæ contra nouorum Theologorum furorem tutatus est, cum illa nemo violarit: multo minus Ecclesiarum pacem conseruavit, sed suo temerario scripto hisce modò turbas dedit.

Macte potius virtute, STVRMI, illud tuum Generosum & vere heroicum pectus, illum senilem quidem, sed inuidum animum his perturbatoribus, tanquam fortissimus & Cato & Coles hostibus istis Hetruscis in vestram Rempub. irrumpentibus, obijce: Christianam charitatem pro viribus, quemadmodum facis, tuere:

Macte potius virtute Marbachi & Pappe, vestrum Generosum & vere heroicum pectus his perturbatoribus Germaniae Calvinistis, tanquam fortissimi Christi milites, hostibus veritatis in vestram quoque Rempublicam & Ecclesiam optimè constitutam, iam pridem irrumperetenteribus obijcere: & sinceritatem Religionis, contra fidem

ctam

## 16 Responso pro Antisturmio D.D.

Etam charitatem pro viribus, quod hactenus fecisti, tue  
mini.

Nam quod Lucas Osiander facinus indignum putat, Io-  
annem Sturmium, qui minimè Pastoris Doctorisq; Theologici  
munus profitetur: tamen pro fidei doctrina & veritate con-  
tra discipulum Pappum esse scribere ausum, ecquis mortali-  
um, vel scelus, vel etiam reprehendendum unquam existi-  
met? Imò verò non summopere laudandum atque prædicandum  
indicet?

Calumnia hæc supr'a refutata est. Et quid, quæso, Pap-  
pus contra fidei doctrinam & scripturæ veritatem in The-  
sibus suis promulgauit, vt necessarium fuerit Sturmio, pa-  
trocinium eius suscipere? De hoc veritatis amantes iudica-  
bunt, nil prorsus fuisse, quod iure carperet. Et hæc de tua à  
partitione facta, digressione: qua absq; veritatis iactura fu-  
persedere potuisses, & non duas integras pagellas ea com-  
maculare, præsertim cum obiter tantum eius Osiandrum  
monere te velle initio promisisses: sed eam paucioribus per-  
sequi, animus calumnijs ardens, non permisit. Expendas  
mus nunc confutationem partitionis Osiandricæ.

Prima tua aduersus Sturmium disputatio est, de nostra  
rum orthodoxarum Ecclesiarum, Gallicarum, Anglicarum,  
Scoticarum, Belgicarum, Polonicarum, Rheticarum, Helv-  
eticarum, Hispanicarum, & Italicarum, quæ adhuc latent,  
damnatione.

Me nulla iniuria afficere te, subinde imputando tibi  
strobolw, omnes æqui lectores cognoscent. Cum enim Osi-  
ander ne verbulo quidem de Ecclesiarum, hoc est, Ouicu-  
larum, sed Pseudodoctorum & errorum vestrorum tan-  
tum, quibus in Ecclesiam Christi grassamini, damnatione  
agit; tu malitiosa calumnia, verba ipsius perueritis, & cau-  
sam

# Osiandri, contra Lamb. Danæum. 17

fam inuidiosam vobis doctoribus propriam, (ad quos ana-  
thema spectat) in totas Ecclesias transferre conaris, ut eas  
contra innocentem callide exasperes.

In qua quæstione aduersus te, tuaq; Ubiquitat;is socios septem  
viro, tria haec uberrimis, atq; solidissimis argumentis Ioannes  
Sturmius probauit, quod nos nunc quoq; Deo dante, demonstra-  
bimus. Primum quidem vos non posse: secundum autem, vos eos-  
dem non debere damnare nostras Ecclesias. Tertium deniq; cum  
nos eas in nouo illo Nouæ vestræ doctrinæ corpore condama-  
natis, nequaquam legitimè id fecisse. Et quoniam, quæ à Ioanne  
Palmerio paucis antè mensibus edita es Nullitatis protesta-  
tio, aduersus illud idem Nouæ vestræ doctrinæ corpus, varia  
causas ostendit, propter quas nullo modo legitimum esse possit  
buiusmodi vestrum contra nos Iudicium, quibus etiam suas  
Sturmius adiecit: nos intra earum fines consistemus, quas tu  
magno labore confutare conatus es.

In hac quæstione de erroribus damnandis (totas enim  
Ecclesias damnare nunquam nostris animis fuit) solidis-  
simis argumentis, contra nullius momenti rationes Sturmij,  
demonstravit Osiander, Caluinianum dogma iustissime  
damnatum esse in libro Concordia: qui non nouam, sed  
antiquissimam doctrinam, in scriptis Propheticis & Apo-  
stolicis comprehensam, continet: nec etiam à sex vel se-  
ptem tantum viris, sed plurimis excellentibus Theologis,  
summo iudicio & accurata diligentia conscriptus, exami-  
natus, approbatus, & perfectus est. Et cum nullitatis pro-  
testationem, à Palmerio quodam inepte prolatam, docti-  
simus vir, Andreas Pouchenius, ad nihilum propè redege-  
rit: Osiander quoq; Sturmij causas, quibus Calvinismum  
suffulcire conatus est, validissime cōfutarit: miror, te actum  
agere, & rancidas ipsorum rationes, quarum te potius pu-  
dere debebat, repetere voluisse.

## 18 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

*Idcirco igitur negas, te damnare nostras Ecclesias, quoniam non ut Magistratui tradamur puniendi: sed duntaxat, ut iudicemur fugiendi nos damnari, id est, ut nostrum dogma falsum & labefactans fidei Christianae fundamentum, ac propterea pernitosum esse intelligatur.*

Video tibi omnino constitutum esse, in toto libello tuo nihil sincerè, nihil recte, sed omnia peruersè & sycophantice agere: ideo eum quoq; à mendacio orsus es, ut in principio statim, non dubium argumentum dares, quæ tuilibz li materia futura esset. Osiander enim neutquam dicit (ut tu ipsius verba perueritis) se idcirco non damnare Ecclesias vestras, quia non ut puniamini, Magistratui vos adiutori dicet: sed discrimen ostendit, inter nostrum & vestrum damnare: quorum illud sit, non Ecclesias damnare, sed erroti vel dogmati falso veritatis opinionem demere, hoc est, manifestare, confutare, improbare errores, qui veritatis nomine Ecclesijs Christi obtruduntur: & monere eas, ut ab illis sibi caueant. Vestrum vero damnare esse, non modò dogmata falsa refutanda suscipere, sed etiam fallitorum dogmatum authores vel defensores, Magistratui postlitico puniendos tradere: quam damnandi rationem nostra Ecclesia, à vobis et Pontificijs usurpatam, nunquam obseruarint.

*In summa (inquis) vis non ipsas personas nostras à vobis condemnari, sed dogma nostrum duntaxat.*

Fol. 6. & 7. Et hoc de tuo fallaciter assuis. Osiander enim eo in loco, tantum de errorum damnatione agit (de personis nihil affirmans vel negans) & quod asserendo, Cinglianismum damnandum esse, nequaquam doceamus, aut cuiquam auctores, vel instigatores simus, ut velde seductis auditoribus, vel de seductoribus Calvinistis supplicium sumat. De perso-

## Osiandri, contra Lamb. Danæum. 19

personarum verò damnatione alibi inquit: Quare si etiam ipsos falsos doctores (quod Paulus in Epistola ad Gal. cap. primo facit) condemnaremus, non possent iuste conqueri, se illegitimè, intempestiuè, & præcipitanter condemnatos esse. At nos in Formula Concordiæ, tantum ipsorum errorem condemnamus: falsos doctores iudicio Dei permittimus. Audis Osiandrum non hoc contendere, quod dogma tantum falsum, non etiam falsi doctores, demandandi sint: immo ex Paulo, iuste hoc fieri posse demonstrat: sed quod in Concordiæ Formula errores tantum damnare, falsos autem doctores iudicio Dei relinquere voluerint, ostendit. Verum cum nos importunitas vestra, iuxta Regulam Iustitiae diuinæ, vobiscum agere cogatur: scias nos primum omnes errores & falsa dogmata damnare: deinde etiam ipsis authoribus, doctoribus, & propagatoribus falsæ doctrinæ, Pauli verbis anathema dicere. Totas verò Ecclesias Christi, hoc est, ouiculas, in quas isti lupi sua falsa doctrina grassantur, nequaquam damnamus: quod multi auditorum vestras nugas non curent, vel etiam non intelligent, & verbis Christi simpliciter fidem habentes: eos vero, qui vestris erroribus imbuti, nec melius edocunt, quia ex nulla pertinacia, sed mera simplicitate errant, misericordiæ Dei commendamus, qui potens est efficeret, ut infirmus in fide, stet, & qui cecidit, resurgat: aut etiam hoc ipsis erratum, cum alijs multis condonet, præservit si cum Davide precetur: Errores siue ignorantias quis Psalm. 19: intelligit: ab occultis munda me: & solo fundamento Christo nitentes, è vita excedant. De his indubiam spem conscipimus, quod stipulis errorum per ignem tentationis exustis, 1. Cor. 15: ipsi gratia Dei saluentur. Et hoc responso sequentia omnia concidunt, nec quicquam contra nos faciunt, quis

20 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

bus tū tibi certissimam victoriam pollicitus, Ostandro, tanquam iam victo, insolenter insultas. Non enim simpliciter personas a dogmate separamus: sed inter personas falsorum doctorum, qui rectius edociti, errores pertinaciter defendunt, & auditorum, dicto modo distinguimus.

Præclarè sanè & subtiliter. Quasi vero, quod à vobis fieri negatis, non sit ex vestra illa sententia in nos condemnatoria, omnino consequens et necessarium. Quis enim hæresin unquam damnavit ullam, ut ipsa per se hæresis, tanquam Chimara quedam, per se & extra subiectum, id est, extra hominem & personam hæreticam subsistens, damnata censeretur? Ecquid unquam vetus, recensue Concilium hæresin anathemate feriit, nisi per personæ, id est, homines ipsi, qui eam sequebantur, ac rebabantur, damnati quoq; intelligerentur? Quasi vero Arianiismus in abstracta quadam cogitatione, primo illo Niceno concilio à 318. patribus fuerit damnatus: & non ipsi qui tunc permanebant, vel qui postea futuri erant Ariani? Aut quasi qui postea sequutus est Eutychianismus: aut qui Arianismum præcesserat Sabellianismus, absque personis, hoc est, absque hominibus ipsis, qui istos errores profiteantur, esse queat?

Vt non negamus, errores & hæreses cum earum authoribus & pertinacibus propugnatoribus simul damnatos & damnatos esse in Concilijs: ita nequaquam concedimus, eandem rationem & conditionem esse ipsorum hæreticorum, qui post hæreses detectionem, confutationem, & fidelem, vt hæresin deserant, admonitionem, eam tamen pertinaciter defendunt, & alios seducere student: & Ecclesiastarum, in quarum Cathedra hæresis proponitur. Cum enim hæretici ambiguis phrasibus (quod vobis etiam Caluniisti familiare est) vtantur, & cum Orthodoxis non raro lo-

# Osiandri, contra Lamb. Danaeum. 21

rō loquuntur: singulari Dei bonitate accidit, vt puriores habeat plebs aures, quam corda Sacerdotes. Adhæc dominatur Christus in medio inimicorum suorum, vt non omnina Ecclesiæ (quæ hæresi contaminata est) membra, hæresin amplectantur, sed quædam illibata sibi seruet Dominus: & qui modo seducti sunt, in viam reduci possint. Ideo non legimus, in vlo Cœcilio, totas Ecclesiæ, quæ hæresi deceptæ erant, sed tantum pertinaces & conuictos hæreticos, cum hæresi damnatos & anathemate percuttos fuisse. Quæ enim inhumanitas, imò immanitas esset, eadem sententia complecti lupos & oues: quorum illos Christus pastor bonus odit & exterminat: has autem dispersas & seductas in ouile suum reducere studet. Nec omnes circumuenti hæresi, hæretici statim appellandi sunt, nisi etiam hæretice, id est, contumaciter in errore persistant. Nam Paulus eum hæretici nomine notat, qui semel & iterum admonitus, ad finitem saniores non redit. At maxima pars Ecclesiæ per hæreticos supplantatae, non ἐν προσέτεσσι vel pertinacia quædam, sed imitatione tantum, & suggestione falsorum doctorum, errat, & rectius instituta, sententiam mutat. Hanc ob causam, dico, nullum orthodoxum Cœciliū totas Ecclesiæ damnavit. Et Chrysostomus, in oratione de Natura humana, inquit: Dogmata impia & ab hæreticis profecta, arguere & anathematizare oportet: hominibus autem (non inquit hæreticis, sed hominibus circumuentis hæresi) parcendum & pro salute ipsorum orandum. Ex qua etiam distinctione æquus lector intelligit, Danaeum non nostram sententiam, sed suum ipsius figmentum & proprias nugas exagitare, scribendo.

Quæ est igitur ista ingenij acies tam subtilis, vt Accidens sine substantia & subiecto esse ac subsistere posse fingat? Ista sunt mera nuga.

22    *Responsio pro Antisturmio D.D.*

Est & hoc considerandum, licet error absq; errante consistere non possit: hoc tamen fieri, vt errore damnato, errans nihilominus saluetur, vt docet Apostolus. 1. Cor. 3.

Nam inter se se sic nexu indissolubili coniuncta sunt ista duo, vt qui hæresin aut errorem aliquem damnet, is eodem modo eademq; sententiâ, personas ipsas ita sentientes condemnet, ac eodem telo feriat. Et quid aliud palam agitis, cum ex pulpite nihil penè aliud, quam Zuinglianos, & Calvinianos tonatis? Quid vester ille Marbacchius postremo suo scripto, non ne Calviniū aperte impetrat?

VERA HÆC SVNT de personis conuictis, admonitis, & tamen pertinaciter hæresin retinentibus & defendantibus. Præterea discriminem esse nemo ignorat inter lupos & oves. In illos bonus pastor sauit: in has verò minime. Ideò non ouibus seductis, sed lupis in ouile Christi suâ falsâ doctrinâ irrumpentibus, quales etiam Zuinglius & Calvinus fuerunt, anathema dixerunt Orthodoxi.

Nec verò illius nostræ sententiae confirmatio melius, quam ex ipso Domini nostri Iesu Christi exemplo, per i potest. An non malum & peccatum dunt axat, vt non simul malos, & peccatores ipsos eadem sententia complectatur, & condemnet? Lege vetus, lege nouum Testamentum, vbi tuam distinctionem, Osiander, inuenies? Certè nemo unquam tam stolidus iudex fuit, nulla lex tam inepta, qua adulterium ipsum dunt axat, & non adulteros: furtum non fures: homicidium non homicidas: hæresin non etiam hereticos, eadem vi & mente verborum comprehendenter. Itaq; Christiani Imperatores sapientissimi, qui vel Synodis pjs ipsi interfuerunt: vel eas ex ipsoorum Patrum sententia confirmarunt, vna eademq; sanctione, & hæreses, & personas ipsas hæresin defendantes (tangam res inseparabiles) editiis suis sunt complexi, &c. Nicenum ipsum Concilium, quod

verissi-

# Osiandri, contra Lamb. Danæum. 23

Verissimum Ecclesiasticae damnationis exemplar est, sic ait:  
Eos autem, qui dicunt, erat tempus, quando non erat, & ante-  
quam nasceretur non erat, &c. Anathematizat Catholica &  
Apostolica Ecclesia. Chalcedonense Concilium, Adiōne 1. ex  
Ephesina Synodo repetita, sic quoq; ait: Eos autem, qui audent  
fidem aliam proferre, &c. Si clericis sint, aut Episcopi, alienos à  
Clericatu & Episcopatu decreuit sancta & magna Synodus.

QVID CONSTANTINOPOLITANVM,  
QVID EPHESINVM, quid catena citem, ubi her-  
retici potius ipsi, id est, personæ, quam hereses & dogmata in  
abstracto damnantur? Deniq; audiamus Cyrillum ipsum, qui  
plurimis Synodis & Ecclesiasticis damnationibus interfuit,  
imo etiam Ephesinæ prafuit. Ille enim sic in Ioann. Euangel.  
lib. 4. scribit. Qui prauitatem ipsam vituperat, illos repreben-  
dit, qui praui sunt.

Et hæc de peccatoribus in malitia perseverantibus rez  
eté dicuntur: de poenitentibus vero non item. Deus enim  
semper & omne peccatum odit; non autem omnes pecca-  
tores, dicente Apostolo: Commendat suam charitatem er- Rom. 5.  
ga nos Deus, quod, cum adhuc essemus peccatores, Chris-  
tus pro nobis mortuus fuit. Et iterum 1. Timoth. 1. Fidelis  
sermo, ac omni approbatione dignus, quod Christus Iesus  
venit in mundum, ut PECCATORES saluos facheret.  
Quod ergo poenitentes & saluandos concernit, omnino  
distinguendum est, inter peccatum & peccantes: quorum  
illud nunquam Deo placet: hos autem in gratiam recipit.  
Omnes peccatores sumus, & tales quoque morimur: & si  
dixerimus, peccatum non habemus, nos ipsos fallimus, & 1. Iohann. 1.  
veritas in nobis non est. Sin confiteamur peccata nostra,  
fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata, & et mundet  
nos ab omni iniquitate. Non igitur Christus peccatum &  
peccans

24 *Responso pro Antisturmio D.D.*

peccantes, (pœnitentes puto) eadem sententia complectitur. Peccatores vero contumaces & haeretici eodem iudicio cum peccato & haeresi condemnantur. Et haec distinctio nostra ex veteri & nouo Testamento, contra quam tibi vis detur, clarissima est. Quare omnia ista, quæ de Christianis Imperatoribus (qui vna eademque sanctione, & haereses & personas haeresin defendantes, tanquam res inseparabiles, edictis suis complexi sunt) & Concilijs orthodoxis affers, nihil planè contra nos faciunt, sed nostram sententiam potius confirmant. Illi enim (pñ Imperatores) ouiculis errantibus parcentes, lupos siue hereticos seductores ab officio docendi remouebant, vel etiam in exilium agebant. Hos rum autem (Conciliariorum) perpetua consuetudo fuit, falsam doctrinam cum authoribus & propugnatoribus, anathematizare, non ipsas seductas Ecclesiæ damnare. Inanem ergo operam sumit Danaeus, operose probando ea, que nemo ignorat, & nullus negat.

Quæ igitur noua est ista fraus, & Dialetica, & Pappiana vel Osiandrica diuulso rerum, quæ diuelli non possunt, ut haereses damnentur, neque tamen eius sententiae sectatores attingi eodem telo videantur? Meum dogma profigetur publica Ecclesiæ voce: ipse tamen (qui illud & tuor & foueo, & profiteor) pulcher, bonus, sanus, minimeq; damnatus intelligar? Nostrarum Ecclesiarum publica fides & confessio ab ipsis condemnatur: ipsæ tamen Ecclesia sincere videantur, & ab ipsis intactæ, minimeq; damnatae censeantur? Quæ tu noua es Sphynx, Osiander, qui nobis hæc dogmata & gryphos proponas?

Ex qua Germania parte prodis, ut nobis tam inauditum quippiam proferas?

Fraudulenter hanc fraudem Osiandro tribuis, Danae. Vbi enim is falsa dogmata & haereses ab haereticis pertinacibus,

cibus, qui illa obstinate tueruntur, fuent, propugnant, in con-  
demnationis sententiâ diuulsit? Vbi hos pulchros, bonos,  
sanos, minimè damnatos intelligi voluit? Ecclesiæ vero  
vestras, licet nequaquam sinceras putemus: non tamen eas  
abducimus, vel damnamus, quod nulla pertinacia, sed igno-  
rancia & simplicitate, melius non edoctæ, peccent: rectius  
vero institutæ, sanari & in viam reduci possint. Ideo etiam  
pro ipsis Deum precamur, ut erroribus condonatis, veram  
sui verbi notitiam illis impertiat. Immerenti igitur Osiandri  
contumeliosè insultas, quasi noua dogmata & gryphos  
(vt tu vocas) noua Sphynx proponat: cum contrascriptu-  
ram & perpetuam Ecclesiæ consuetudinē, nihil protulerit.

Distinguunt quidem Patres, quum aduersus Marcionitas &  
Manichæos de peccato & malo disputant, inter hominum ma-  
lorum vitium, & eorundem naturam, quoniam hominis vitium  
est a filio naturæ ipsi (quæ à Deo pura primum creatæ est) su-  
perueniens. Itaq; quamquam vitium in malis & sceleratis homi-  
nibus damnant, humanam tamen ipsam naturam, eiusque au-  
thorem Deum, nequaquam ut quippiam malum condemnant.  
Sed quid ista Patrum distinctio ad tuam illam ineptissimam  
atq; ovisat op̄ distinctionem facit, ut nostrarum Ecclesiæ  
publ. confessio heretica, & fugienda, à te tuisq; censatur, nostra  
Ecclesia non item? Longè sanè aliter Paulus, qui quemadmo-  
dum Phileti & Hymenæi errores damnat: sic ipsas quoq; eo-  
rum personas, ut ita dicam, id est, ipsum quoq; & Philetum &  
Hymenæum, eadem sententia & eodem fulmine percuti à se do-  
cet, & utrumq; ab omnibus Ecclesijs fugiendum, & Phileti er-  
rorum, & Philetum ipsum. Quis enim istatam conjugata à se  
distrahere, ac diuellere potest, hæresin & hæreticum? Quis pe-  
stis, sed non pestilentiosos: Quis pernititem, sed non pernitiosos  
(quoniam & nos quoq; nostrumq; dogma sic nominas) quoque  
homines fugere docetur? Quam ista, quæso, sunt absurdæ?

## 26 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

Quid opus erat hanc distinctionem, quam contra Mar-  
cionitas & Manichæos usurparunt Patres, inepte afferri?  
Cum èa suam causam Osiander non defendet: nec etiam  
eius opera ad illam tutandam indigeat: Is enim inter hæresin  
& hæreticos, quoad damnationis sententiam, non distinguit:  
sed inter hæresin siue hæreticam confessionem, & Ecclesi-  
am, discriminem facit: quod neutiquā ineptum & dōcūs a top est  
( vt tibi videtur ) quandoquidem scripturæ rationibus & Ec-  
clesiæ authoritate nitatur. Confessio enim, quæ ab hæreticis  
conscripta, Ecclesijs vel per vim obtruditur, vel verborum  
blanditijs persuadetur, nullo modo totius Ecclesiæ putatur,  
cum multa eius membra, eam non probent nec acceptent:  
& qui falsorum doctorum clamoribus adducti, eam ample-  
ctuntur, nō tamen ijomnes idcirco hæretici appellādi sunt,  
nisi etiam admoniti & rectius instituti, veritati cedere recu-  
sent, & suum errorem pertinaciter defendant. Non minus  
inepte adducitur exemplum Phileti & Hymenæi pertinæ-  
cium hæreticorū, quos vna cum errore damnauit Aposto-  
lus. Id quod & nos faciendum hodie, de te & tui similibus,  
censemus: de Ecclesijs vero diuersum sentimus. Nam hære-  
sis quidem et hæreticus coniugata sunt, que distractionem  
nullā admittunt: at hæresis & ouicula hæresi decepta, con-  
iugata dīci non possunt, & diuulsionem in condemnationis  
sententia patiuntur, quemadmodū peccatū & peccans: quo-  
rū illud simpliciter detestatur Deus: peccantem vero, cui poe-  
nitentiā largitus est, diligit. Eodem modo peste execramur  
& depellimus pharmacis: homines vero peste correptos,  
amamus, eosq; seruare studemus. Et me dicus ipsam pe-  
stem, quantum potest, auersatur: pestilentem vero accedit, vt  
eum periculo eripiat. Hæc non absurdā esse, quiuis sane  
mentis, præter te VNV M, intelligit.

*Itaq; quæ distinctione à vestris & in thesibus Pappi probata, & in  
prefatio*

præfatione Noui illius Nouæ vestræ doctrinæ Corporis repetita, & bīc à te recorda es, ea prorsus inane ιησοφύγετορ esse apparet, idq; vel Andrea Pouchenio (qui è tua sodalitate est) teste locupletissimo. Ergo id facitis ex magno astu, ut simplicibus & pacis amantibus hominibus imponatis, qui vestras istas condemnatorias sententias censoriasq; notas, prorsus improbant, velut incendij Ecclesiarum, distractionisq; irreconciliabilis semina.

Conclusio hæc tua, vel potius appendix, præmissi plassimilis est, vana nimirū, inigriosa & cōtumeliosa, in Principes Electores & Theologos orthodoxos. Cōmunis, n. no strūm sententia est, quā ex scriptura & Patribus probamus, Errores oēs simpliciter damnādos esse: errantes autem minimē, nisi manifesta cōtumacia signa ostendant: quod cūm hæreticis familiare sit, eādē cū hæresi censura ipsos cōstringimus. Hoc tu ignorare nō potes: & tamē malitiosē Ecclesiās, cum hæreticis pertinacibus, in cōdemnationis sententia cōfundis, quasi & hos, quemadmodū illas, à damnationis rigore immunes esse putemus. Et hæc distinctionē abs te vitiatā, pro arbitrio exagitas, velut inane ιησοφύγετορ, & astum quendam, quo simplicibus & pacis amantibus imponere velimus. At æqui censores intelligūt, iniquè his probris notari, quod scripturæ & Ecclesiæ suffragio (vt nostra distinctio) nititur. Nec quisquam, has nostras censorias notas improbabit, nisi Epicuri de grege porcus, errores damnari: lupos infestari: incendiarios & perturbatores Ecclesiarū nominari, & accusari, ferre non possit. Et hæc censura summè necessaria & a Christo mandata, nullius incendij & distractionis in Ecclesia, causa est: sed potius incendiū in nostris Ecclesijs a vobis excitatū, restinguat, & distractiones animorū, quas in religione dedistis, tollit. Hic enim finis est Formulae Concordiae, vt Ecclesiæ Germaniæ à vestris gregalibus & ab alijs maleficis laceratæ & distractæ, monstrata veritate, in fidei unitate rursus coalescant.

28 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

Quanquam utinam, Osiander, tu vera dices, neque contra tuam istam orationem, tuum collegarum tuorum, & factum & conscientia aperte testaretur. Nam si dogma tantum, & non personas persequimini, cur tot viros pientissimos, bene de Repub. Christiana meritos, addo etiam praecptores vestros, ex suis sedibus in exilium pepulisti? Vnde illa tot Academiarum Germanicarum solitudo? Vnde tot studiosorum genitus, praecptores suos optimos & doctissimos viros requirentium? Vnde tanta priuatarum scholarum hodie in Germania vestra vagitas? Neq; quum haec dico, illos propriè accuso, quorum bonitate & facilitate iam pridem abutimini: sed vos, inquam, iſtorum omnium malorum autores coram Deo & hominibus accuso, procul dubio tandem iſtius in Ecclesia tam nefandè usurpatæ tyrannidis rationem reddituros.

Orationi Osiandri nihil contrarium fecerunt, velsi ciunt nostri. Seductos enim à vobis, & se erudiri patientes, nec nostram sinceram doctrinam blasphemantes, cum mansuetudine tolerant, si quando det illis Deus poenitentiam ad agnoscendum veritatem. Quos vero & falsos doctores in grege Domini nullo momento tolerabiles, proful inde abigunt: nec eos (vt tu ipsorum patronus honorifico titulo, cœu veste ouili, lupos rapaces contegere voluisti) pientissimos viros, & bene de Repub. Christiana meritos: sed homines perfidissimos, & pestes Reipub. Christianæ, qui veritatem, quam à maioribus acceptam, fideliter propagare debebant, sceleratè prodiderunt, & falsæ doctrinæ pestilentissimo veneno scholas & Ecclesiæ inficerent. Talia pernitiosa pondera terræ, Illustrissimus & Prudentissimus Elector Augustus, Ecclesijs & Scholis sua ditioni subiectis Christiane consultum volens, e sedibus suis pepulit. Nec inde villa Academiarum & scho-

latum priuatarum in nostra Germania solitudo vel vastitas (vt tu nugas agens obijcis) secuta est: sed lupis istis & perfidis Matæologis successerunt alijs probi, sinceri, & majoris fidei doctores. Nec etiam vlli fraudulentos istos, scholarum perditores requirunt: nisi fortè vestri sodalitij homines, qui lupos, gregis pastores constitui optant. Quare hanc turam accusationem, indignè ferentis, lupos à grege repullos, ridemus, certissimi, Christo ὁ ἀρχιποιμένιον hoc factum Electorum & Principum probari, idqz remuneraturum eis, quod gregis ipsius necessariam curam habere, fideles pastores constituendo, lupos infestos abigendo, & sana veritatis pabula præbendo, laborarint. Deniqz si tyrannis nomen meretur, lupos ab ouili arcere, quo loco ponendum erit vestrum hoc facinus, quod concionatores orthodoxos, vocem ἀρχιποιμένος sequentes, suis sedibus ejicitis? Hoc vobis laudabile & pium, scio, opus erit, & a nota tyrannidis, quæ in homines tam pios & sanctos non cadit, alienissimum. Sed Deus aliquando veritatem sui verbi, nullo vestro commodo vindicabit. Et hæc de hæresi & hæreticorum, non autem Ecclesiarum, quæ hæresi infestantur, damnatione. Nunc rationes examinemus, quibus Calvinismo, vehementi studio patrocinari conatus es.

Sed agè, vt ipsum nudum dogma damnari aliquando posset, videamus, quo iure istud nunc à vobis sit factum, fieri enim non debuisse, Sturmius verissimè contendit.

OSIANDER, vtrumqz, contra Sturmium potenter obtinuit, & verissimè demonstrauit, Zwinglianum dogma, & posse & debere damnari: ostendendo nimirum dogmatis istius impietatem: & solidissimè confutando rationes Sturmij, quibus errorem istum non esse damnandum, pugnauit. Haste repetere aysum fuisse, non sine causa miretur is,

30 *Responsio pro Antisturmio D. D.*

turis, qui Antisturmum legit, quo fucum illis ita detersit  
Osiander, ut nudas, confusas, & omnibus viribus destitu-  
tas, toti mundo prostituerit. Sed videamus, quid tu noui  
coloris & fuci, ad dogma tam foedum pingendum attu-  
leris.

Primum ( inquis ) hoc afferit Sturmius, nos à vobis, qui  
Lutherani dici vultis, minimè damnari posse, ne cum in verbis  
potius, quam in rebus ipsis veriq; dissentiamus, vos ipsis eadem  
condemnatione inuoluatis, qua nos nostrumq; dogma conde-  
nnatis.

Fol. 7. 10.  
11. 12.  
Neruus argumenti tui & Sturmij hic est: Vos verbis  
potius, quam rebus, à nobis dissidere. Hac voce, veritatem illo  
ludere vos, clarissime ostendit Osiander, vt probatione am-  
pliore opus non sit. Summa vero illorum, quæ Osiander  
habet, hæc est: Cum vos Christi humanitatem cœlo ita ins-  
cludatis, vt non nisi uno in loco esse possit: nos autem iux-  
ta Scripturam credamus, Christum totum secundum vñ  
tramq; naturam, Ecclesiæ in terris præsentem esse: manifestu-  
stum est, nostram sententiam à vestra opinione tantum di-  
stare, quantum à cœlo terra. Et hic non iniuria candor &  
pudor ( quem omnem exuisse videmini ) à vobis requiritur,  
vt cum tanta vehementia, maledicentia, & virulentia, con-  
tra nos causam vestram agatis: tamen contendere ausitis, es-  
tiam contra conscientiæ testimonium, dissensionem, in ver-  
bis potius, quam rebus esse. Rationes vero, quibus id stultis  
fortasse persuaseris, discussiamus.

Eorum enim, qui primi hanc de verborum in cena Domini  
interpretatione questionem mouerunt, huiusmodi ratio tum lo-  
quendi, tum scribendi fuit ( quoniam suas phrases quisq; retinere  
maluit, quam alteri cedere ) vt verbis potius, quam re dissen-  
tirent. Quales primi illi Lutherus, Zwinglius & Oecolampadius

dus fuerunt, de quibus Sturmius loquitur. Id quod cum ex colloquio Marpurgensi appareat, cum ex ijs literis, quas ipsi vL<sup>tro</sup> citroq<sup>z</sup> dederunt, quasq<sup>z</sup> etiam Lutherus ipse ad amplissimum Senatum, & Ecclesiam Tigurinam disertissimè scriptit. Fatur enim ingenuè, facilimè de toto hoc negotio inter se (si modo vocabula quædam vel semouerentur vel lenirentur) conuenire posse. Hoc Melanchtho, hoc Burzerus, hoc Sturmius, hoc Capito, hoc Caluinus, (qui omnes illius contemporanei fuerunt) ex ipsis verius q<sup>z</sup> partis scriptis liquidò comprobant.

Hanc vanitatem tuam plurima scripta vtrinq<sup>z</sup> edita redarguunt. Phrases enim facile mutari potuissent, si in rebus exigua dissensio fuisset. At rei certamen grauiissimum, etiam phrases diuersissimas peperit. Contendit enim Cingli<sup>z</sup> Tom. 2.  
Cingli<sup>z</sup>.  
fol. 3626. us, verbum EST, pro significat, accipendum: Oecolampa-  
dius vero corpus, pro figura corporis, exponit: & ambo in  
hunc scopum intendunt, panem & vinum significare &  
repræsentare corpus & sanguinem Christi longissim'e res-  
mota, nec substantiam eorum in coena Dominica accipi.  
Contra Lutherus scripturis demonstrat, corpus & sangu-  
nem Christi externis istis Symbolis dari & accipi ab omnibus  
coenà vtentibus. Hanc disceptationem vtrinq<sup>z</sup> acerrime agitaram, quis sani cerebri Logomachiam & non πράγματα μεταμεταξιαπotius esse dicet: Et quamuis hæc vulgo quoq<sup>z</sup> nota sint, ut nemo nisi plan'e peruersus, aut huius contro-  
versiæ rudissimus, negare ista possit: tu tamen diuersum probare conaris ex colloquio Marpurgensi, & literis Lu-  
theri: quæ ambo manifestæ vanitatis te conuincunt. Phil-  
lippus enim in breui sua summa de colloquio Marpurgensi, (quæ extat in Tomo 4. operum Lutheri) ostendit, opinio-  
nem Cingli<sup>z</sup> cum Lutheri sententia ex Diametro pugnat.  
sc. Ex

se. Ex verbis namqe Christi: *Caro non prodest quicquam.* Et axiome Physico: *Corpus non potest in pluribus locis esse.* Cinglius euincere voluit, carnem seu corpus Christi in cœna non adesse. Tertium argumentum Oecolampadius addidit: *Sacra menta esse signa, ideoqe externa illa Symbola panis & vini, significare tantum corpus & sanguinem Christi, nec esse in cœna præsentia.*

Hos paralogismos Lutherus dissoluit: & ex scriptura & patribus demonstrauit, verum corpus & sanguinem Christi in cœna adesse, quod Cinglius & Oecolampadius negabant. Et tandem concludit Philippus, aduersariam partem de sua concepta opinione cedere noluisse: cumqe pro fratribus agnosci se peterent: recusasse id omnibus modis Lutherum. Quomodo igitur ex Colloquio Marpurgensi appetat Lutherum, Oecolampodium & Cinglium, verbis potius quam re dissensisse? Extant deinde duæ Epistolæ Lutheri, ad Heluetios de Concordiæ negotio scriptæ: quærum tamen neutra vel verbo mentionem eorum facit, quæ tu fateri eum comminisceris.

Quæ enim detestanda pertinacia hæc, immo impietas fuisset quavis poena dignissima: tam atrox disidium in Ecclesia fouere, si facilim'e de toto hoc negotio, semotis tantum quibusdam vocabulis, conueniri potuisset? At meræ sunt ista nugæ. Eiusdem momenti & fidei sunt illa, quæ de Melachthone, Bucero, Sturmio, Capitone, & Caluino affecti. In Tomis namqe Philippi, nihil (quod sciam) eiusmodi legitur. Nec etiam in priuatis Epistolis cuiquam, opinor, persuadere conatus hoc fuit, cum viderit, Lutherum constantissimo animo naturam & propriam sententiam verborum Christi tueri: nec etiam aduersarios de sua opinione quicquam concedere. Quare vir prudens facile perspicere potuit,

potuit, in hac animorum & sententiarum distractione, nihil esse difficilius, quam de hoc negotio conuenire. Bucerus & Capito multo labore conatis sunt, Concordiam Vuitebergensem Helueticis Ecclesijs persuadere: sed operam & oleum perdiderunt. Quod si in phrasibus tantum dissensio erat, cur nihil promouerunt? De Sturmio nihil attinet dicere, cum nunc de rationibus ipsius agatur. Calvinus vero, si de verbis potius, quam rebus, dissidium esse sensit, cur etiam Concordiam pro viribus, vti debebat, non iuuit? cur eam ipse non iniit? cur tanto Ecclesiam scandalio liberari non studuit? sed vobis ut veritas cordi non est: ita nec pax sincera Ecclesiae.

*Ex tractate inter Epistolas Caluini confessio fidei, pag. 289.  
a Farelo, Galuino, & Vireto, Helueticarum Ecclesiarum fidelissimis pastoribus, communis consensu edita, cui apertissime Bucerus, atque Capito subscripsierunt. Et inter Oecolampadij, viri eruditissimi, Epistolas pulcherrima Disputatio, ex qua non de re ipsa Sacramenti, sed de modo tantum praesentia carnis Christi in Cena Domini dissidium esse inter se & Lutherum, aperte confiteretur. Libellus nuper ab Ambroso Vuolfo, viro undiqueq[ue] doctissimo, editus est, qui inscribitur de Confessione Augustana, ubi Concordia M. Lutheri cum M. Bucero & Helueticis Ecclesijs, luce ipsa meridiana clarius demonstratur.*

Bucerum & Capitonem, trium illorum lubricam confessionem in partem meliorem accepisse, nihil moratur. Siquidem boni illi viri intempestivo pacis studio, plus a quo concesserint aduersarijs nostris, in spem bonam erexit, ut tandem omnino se nostris coniungant, quando quidem ipsdem iam prope verbis nobiscum vterentur, carnis nimirum & sanguinis Domini substantia ad immortas.

In Epistolis Caluini fol. 576.

### 34 Responso pro Antisturmio D.D.

litatem nos pasci : & hanc carnis & sanguinis sui communionem, Christum sub panis & vini Symbolis in sacrosancta sua coena offerre & exhibere omnibus , qui eam rite celebrant,iuxta legitimum eius institutum . Sed spe sua longe frustrati sunt . Quid vero Oecolampadius ad pingendam & fucandā suā causam malā disputatione, non curamus, cum ex cæteris ipsius,Cinglij & Lutheri scriptis, luce meridianā clarius sit , de re & substantia Sacramenti, quid nimis rūm sit illud,quod cum pane & vino datur , dissidium suis se:confirmante ex scripturis Luthero , exhiberi & accipi ipsam substancialē corporis & sanguinis Christi: nec tantum (quod Oecolampadius voluit ) per Symbola repræsentari. De modo vero disputationem , Lutherus cum Philippo simpliciter reiecit , relinquentes eum sapientia & potentiae diuinæ. Adhæc,Bucerum Concordiæ Vuitebergensi subscriptissime,non inficiamur. Inter Lutherum vero & Helueticas Ecclesiæ, negotium istud Concordiæ confessum fuisse, futuillissimum commentum est. Diu quidem illas solicitauit Bucerus , vt Concordiam istam cum Saxonice Ecclesijs inirent: sed teste Lauatero in sua historia, capitibus eius subscribere voluerunt,quod sibi obscura & ambigua, (hoc est, nimis aperta & paradoxis ipsorum lethifera ) viderentur. Ideo Saxonice Ecclesijs relictis, aliquot annis post, cum Geneuensibus,apertis hostibus nostris, pacem fecerunt.

*Quid igitur contra tam apertam veritatem vel fingere potuit Ostander?*

Calviniana hæc veritas est, crassum nimiriū & purum putum signum: dissidium potius in verbis esse: & inter Helueticas Ecclesiæ & Lutherum, factum esse consensum: ut non opus fuerit, quicquam contra manifestam vanitatem fingere, sed eam confutare & explodere, pro merito Ostander debuit.

*Respon-*

## Osiandri, contra Lamb. Danaum. 35

Respondet non quidem de Lutherio, & Zwinglio, & pri-  
mis illis huius contiouersia disceptatoribus, sed de se & suis,  
nimis à suis aucta esse posse à hac disputationum capita. Id  
quod nec ipse quoq; Pappus in responfione ad Ioannem Sturmii-  
um priore difficitur. Et certè sic euenisse fatemur.

Qui libellum hunc tuum, & Antisturmium legerunt,  
fictiones istas crebras in te vehementer mirantur. Quomo-  
do enim non respondet de Lutherio & Zwinglio, sed de  
se & suis tantum? cum primos & ultimos huius contro-  
uersiae disceptatores apertissimè coniungat, dicens: Scilicet  
doctissimi illi viri, qui vtrinq; pugnabant, & qui hodie pu-  
gnant, qui etiam coram aliquoties autoritate Principum  
conuocati (quod omnium primo à Philippo Landgrauio  
factum est, conuocante Marpurgum, Lutherum, Philip-  
pum, Brentium, Cinglum, Oecolampadium, Bucerum,  
& alios) prolixè inter se collocuti sunt, non tantum habes-  
bant mentis & sani cerebri, vt tot annorum spacio ex les-  
tione scriptorum, vtrinq; editorum, & institutis Collo-  
quijs deprehendere potuerint, certamen non esse de rebus,  
sed tantum de verbis. Et vbi, quæso, Osiander scribit capita  
disputationum à suis aucta esse? Assignasti tu quidem pa-  
ginam nonam: sed nec ibi, nec in toto Antisturmio eius-  
modi quid reperitur. Et quomodo hoc vere Osiander di-  
ceret, cum nihil in contiouersiam hodie veniat, de quo non  
tempore Lutheri disputatum fuerit? Sturmius quidem nos-  
tros huius insimulavit: sed falsum id esse, monumenta, quæ  
extant, testantur.

Sed unde tamen hoc malum exortum est, nisi à vobis, nouas  
indies tuenda vestre doctrinae rationes comminiscentibus?  
Nam & Ubiquitas corporis Christi (de qua aliquid feruore  
disputationis dixerat Lutherus, ita quidem ut nominatim, te-

## 36 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

ste etiam ipso Pouchenio, quæstionem de Vbiuitate minime mouendam esse testaretur) ut noua quædam Regina in lucem, & solium à vobis, authore Brentio, cuecta est. & ascensio Christi in cælum in ipsius corporis Christi disparitionem duntaxat & euangelicam inter basce inferiores mundi nubes transformata est: & eiusdem Christi sessio ad dextram Patris cum unionis hypostatica articulo confusa est. Corpus deniq; illud Domini nostri Iesu Christi in tertium quoddam maiestatici corporis genus, veteri Ecclesiæ orthodoxæ prorsus inauditum, commutatum est.

Origo huius mali, Duces vestræ sectæ, Carlostadii, Oecolampadius & Zwinglius fuerunt: qui omnium primi, Ecclesijs reformatis dissidium hoc intulerunt, pulcherzimum consensum nouâ doctrina turbantes: cuius tuendæ causa subinde nouas rationes confinxerunt, & fidei quoq; articulos per vim in suam sententiâ pertrahere voluerunt. Quibus occasionem, imò necessitatem extremam, nostris dederunt, genuinum sensum articulorum fidei asserendi, eumq; in aduersariorum profanam doctrinam retorquendi. Cum enim Cinglius execrandum suum dogma (cuius fundamentum posuerat principium hoc Physicum: corpus non potest in pluribus locis simul esse) astruere niteretur articulo ascensionis Christi, & sessionis ad dextram Patris: Lutherus per blasphemiam ostendit, hunc articulum adeo non pastrocinari Zwinglii causæ, vt eam potius validissimè cœcutiat & euertat, nostramq; piam sententiam de proprio & nativo sensu verborum coenæ, confirmet & stabilit. Et hac occasione de omnipræsentia Christi, quam vos Vbiuitatem vocatis, coepit est differi: de qua nihil temerè, aut feruore disputationis, Luthero exciderat, cum eam in pluribus & diversis locis repetitam voluerit: sed in eam quæstionem

ftionem Aduersariorum importunitate pertractum se esse,  
non obscurè significat: quæ licet non propria controuersiæ  
de coena fuerit: non tamen ab ea prorsus alienam quæcç esse  
iudicauit, cum realis præsentia corporis & sanguinis Christi  
in coena, re etissimè per eam confirmari & illustrari possit.  
Non igitur Brentius, secundum tuum & Sturmij commen-  
tum, modò post Lutheri & Philippi obitum, doctrinam  
hanc de omnipræsentia Christi hominis inuexit: cum con-  
tra Lutherum Zwinglius & Oecolampadius eam mul-  
tis in locis impugnarint, Eiusdem farinæ est illud, quod nos Tom. 2.  
per calumniam fingis, ascensionem Christi, in corporis Cing. fol.  
ipius euanescentiam inter hasce inferiores mundi nubes  
transformare: cum credamus & doceamus, veram & visib-  
ilem Christi in cœlos ascensionem. Nec etiam Articulos  
de unione Hypostatica & sessione Christi ad dextram Pa-  
tris, confundimus: sed confessionem eorum in quaestione  
de Maiestate Christi hominis explicamus, & syncerè pro-  
ponimus. Quod vero præter naturam & gloriam, qua ipsi  
similes erimus, humanitati Christi etiam Maiestatem, quæ  
reliquis omnibus hominibus negatur, tribuimus: hoc se-  
cundum scripturam & orthodoxæ Ecclesiæ sententiam fa-  
cimus, ut planè impius & infidelis sit, qui ipsi derogare hanc  
ausit. Quæ enim, præter Christi carnem, viuiscare & ad  
immortalitatem nos pascere potest? Quis alius, præter Christum  
sanguinem, emundat nos ab omni peccato? Quis præter  
hunc hominem, omni potestate in cœlo & terra donatus,  
ad dextram Dei patris sedet, omniaq; impler? Quæ singula  
& alia innumera, diuinæ Maiestatis certissima argumenta  
sunt: de quibus nihil docent nostri, qu'ām quod ex scriptu-  
ra & orthodoxæ Ecclesiæ monumentis hauserunt. Hanc  
Christi hominis Maiestatem vos vellicare, ridere, & blas-

## 38 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

phemare potius, quam pie secundum scripturam credere  
& venerari, didicistis.

*Ita nimirum fæcundus est error, & qui parvus erat à prin-  
cipio, tandem nimis altercationibus vestris evagis ingens &  
immane monstrum.*

Vix aliud de Zuinglianismo verius dici potest. Cum enim Zwingiani initio, tantum præsentiam corporis & sanguinis Christi, contra clarissima institutionis verba, è cena tollerent: postea quoq[ue] articulos fidei depravantes in Nestorianismum inciderunt: ex hoc plurimi illorum in Arrianismum prolapsi sunt: & Neuserus, infelicitis memoriaz, olim Heidelbergensis Ecclesiæ primarius Pastor, ex Zwingianismo per Arrianismum ad Mahometismum vsq[ue], cum as[sum]ptio Ihs non paucis, progressus est. Exhibit mihi ipse Neuserus Constantinopoli, Anno Domini 1574. literas, eodem anno, 2. Iulij ad se ex Polonia, à primario quodam Antitrinitariæ hæresis propugnatore, datas: (quas bona fide transcripsi) cuius inter cætera, hæc quoq[ue] verba sunt: *Quæso mi Adame,* (hoc Neusero nomen proprium erat) diligenter interroga, *an Alcoranus iste, quem Bibliander Tiguri edidit, sit autem authenticus, & veritati Arabicæ conueniat.* Nam isto libro nos valde delectamur, & diuinum esse asserimus. Deinde peto etiam nomine fratrum, vt omnes vetustos Græcos libros inspicias, & si disputationem aliquam de vno Deo inuenies, tecum apportato. Si veneris ad nos, nullo modo impediemus, quin ad tuos redeas, sed summoperè curabimus, vt tutus discedere Constantinopolin possis. Nam talem vi-  
rum, sicut tu es, optamus Constantinopoli habitare, vt quo ad libros istos prædictos, utilitas quædam Ecclesiæ accedat. Afferto etiam tecum, si potes inuenire, libellum Porphyrii de authoritate S. Scripturæ, contra quem Cyrillus Alexan-  
drinus

Osiandri, contra Lamb. Danæum. 39

drinus scripsit. Nam nos ex tuis literis, quas scripsisti, intellegimus, multas esse contradictiones in sacris literis, igitur de multis locis dubitamus, & te magna cum auditate expescamus, te amplectimur, ex ore tuo verba diuina audire pessimum. Noli ergo propter Deum tuos fratres in hac causa deserere, &c. His literis addita erat scheda, manu propria Neuseri his verbis, scripta; **NVLLVS NOSTRO TEMPORE (MIHI NOTVS) FACTVS EST ARRIANVS, QVI NON ANTEA FVERIT CALVINISTA, SERVETVS, BLANDRATA, ALCIATVS, FRANCISCUS DAVIDIS, GENTILIS, GRIBALDVVS, SYLVANVS, ET ALII. IGLTVR QVI TIMET SIBI, NE INCIDAT IN ARRIANISMVM, CAVEAT CALVINISMVM.** Hoc ipsum αντόγεαφορ Neuseri, memoriae causa retineo.

Et hoc iam res in Polonia & Transyluania apud vestram sodalitatis homines rediit, vt de merito Christi iam dum disputare coeperint, an illud sufficiens sit pro peccatis totius mundi, cum Christus, vt nūdus homo, passus sit. Et quid mirum? Cum aliud ex vestra doctrina de vniione personali & communicatione Idiomatum verbali, consequens non sit, quam passionem & mortem Christi finiti meriti esse. Vides Danæ, quid Satanas molitur per vestram blasphemam in Majestatem Christi hominis doctrinam? vt scilicet Christum Salvatorem hominibus paulatim eripiat, & longam telam ex paruo principio ordiens, vnum error rem ex alio nectat. Huius artificij sui experimentum illustreret in vobis Calvinistis dedit, vt non tantum Mysterium coenæ per vos eneruatum, plurimis vilescat: sed etiam Mastas

## 40 Responsio pro Antisturmio D.D.

festas Christi hominis, quam ei scriptura tribuit, vobis nunc risui sit. Verum cum tremore videbitis aliquando, in quem pupugeritis, cum filius hominis in sua Maiestate, quam ei detrahere Diabolica audacia conamini, vobis seuerus lux deo apparebit: tuncque illum rerum omnium, etiam blasphemiarum & corruptelarum vestrum scientem, infinita potestitia præditum, & nulli non rei præsentem, vestro semper terno malo, nisi resipueritis, experiemini.

Sic autem sunt igitur dissidia: sic enim in rebus & in verbis orta dissensio, inter recentiores, quæ de rebus ipsis nulla prorsus inter primos istos, huius controuersia disceptatores fuerat.

Huic vanitati, qua nihil vanius, omnia scripta & singulæ propè periodi, à Lutherò & Zuinglio de hac controuersia æditæ, contradicunt: ut si testimonijs ipsorum probare insisterem, de rebus inter ipsos fuisse dissensionem, & quidem in omnibus ipsis, quæ hodie agitantur, procul dubio ineptissimus haberer. Sed quia in limine statim libelli tui personificauisti frontem, non miror, te nunc verecundæ omnis oblitum, quiduis fingere audere, nobiscque imputare ea, cuius vos ipsis culpam sustinetis. Quis enim author & auctor sit horum dissidiorum: quodque non demum inter recentiores in rebus & verbis ortum sit iurgium, notius est, quam ut aliquid probationem requirat.

Negat ergo Osiander de sola verborum formula in cana Domini explicanda, inter nos controuersiam iam versari: sed de rebus ipsis potius agi. Atque ut, quam duas mandationes istæ (spiritualis & Sacramentalis) inter se diuersæ sint & dissimiles, doceat: verbosam de veroq; mandationis genere disputationem, pag. 7. 8. 9. & 10. instituit. Denique ita veramq; inter se committit, ut una cum altera nunquam consentire possit.

Confert Osiander concionem Christi, quæ est Ioannis 6.

## Osiandri, contra Lamb. Danæum. 41

nis 6. de spirituali mandatione, cum verbis cœnæ Domini  
næ, quæ Sacramentalem mandationem describunt:  
istæq; collatione necessaria, minimeq; verbosa, discriminem eas-  
rum docet, vt ostendat de sacramentali, non autem spiritua-  
li mandatione certamen esse: Easq; adeò non inter se  
committit, vt manifestissimè scribat: *Necessarium esse, vt qui ad salutem suam promouendam cœna Domini vti velit, is simul etiam spiritualiter carnem Christi manducet, hoc est, in Christum credat;* Quomodo ergo contra Osiandri expressa verba  
necolw hanc apponere, te non puduit?

Spiritualalem corporis Christi mandationem definit eam  
esse, que sit SEMPER extra Sacramentorum, id est, signo-  
rum vsum: sed sola fide. De hac Ioan. 6. agit Christus, quæ nihil  
aliud est, ait Osiander, quam credere. Hanc Spiritualalem man-  
dationem, & omnibus, & semper, & quovis tempore fieri de-  
bere atq; etiam necessariam esse concedit. Deniq; semper quoq;  
esse salutarem: dixit enim Christus de hac spirituali man-  
datione, Qui edit carnem meam & bilit meum sanguinem, haber-  
vitam æternam: Item, in me manet, & ego in eo. Sacramenta-  
le vero mandatione carnis Christi in sacra Cœna, nec semper  
neq; omnibus necessariam, neq; item cuius sumenti salutarem  
esse. Quosdam enim Cœnam Domini ad iudicium sumere, ait  
Paulus. Hac igitur est breuis longæ illius Osiandri orationis  
summa, vt ostendat nostram confessionem ab eorum dogmate, in  
sancta Cœna Domini non in verbis tantum, sed in rebus ipsis dis-  
senire. Hoc autem totum quale sit perpendamus.

Differentijs quibusdam distinguit Osiander Spiritua-  
lem a Sacramentali mandatione: nec eam definit esse,  
QVÆ SEMPER extra Sacramentorum vsum fiat:  
quasi nunquam eas coniunctas esse velit: sed necessarium  
esse dicit, vt qui ad salutem non ad iudicium Cœna Domini

42 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

ni vti cogitet, is etiam S I M V L spiritualiter carnem Christi per fidem manducet.

Primum in superiori spiritualis manducationis definitione hoc vitiosè ab Osiandro scriptum est, spiritualiter manducare carnem Christi, & bibere ipsius sanguinem, nihil esse quām in ipsum credere. Causam enim instrumentalem cum illius effido manifestè confundit, quod in accurata rei alicuius definitione & explicatione minimè ferendum est. Dixit quidem Augustinus de hac ipsa spirituali manducatione agens: Ut quid parvules et ventrem? Crede & manducaisti; quod iste fortasse in animo habuit, cum illa sua scriberet: sed non perspexit homo iste præceps, ab Augustino ipso his verbis, fidem ut causam: Manducationem vero ipsam spiritualem ut effectum inter se conferri & collocari. Alioqui si credere & manducare, una & eadem res esset ex Augustini mente, quid hac oratione fuerit inceptius, credere & manducaisti, id est, manduca & manducaisti. Nam credere in Christum, & edere Christum vel carnem eius, inter se tanquam prius & posterius differunt: Sicuti ad Christum venire, et Christum bibere. Præcedit enim accessus & apprehensio, quam sequitur potio & manducatio. Ergo fide Christū prius recipimus ut habitet ipse in nobis, fiamus q[uod] ipsius viua carnis & sanguinis participes, adeoq[ue] unū cum ipso. Ex quo sit, ut ipsa spiritualis manducatio carnis Christi sit opus ac effectum fidei, non autem ipsa in Christum fides. Itaq[ue] notione definitione, aliud est spiritualis manducatio, quām credere in Christum. Quod tamen nondum fortasse perceperat Osiander.

Hic suam ἀργίαντα hoc est, crasitiem in Theologia ostentat Danzeus. Nam præceptoris sui Caluini inanem ἀργίαντα secutus, credere & manducare, ut prius & posterius, siue causam & effectum, discernit. At Christus sapientia Dei disertis verbis docet, credere in Christum, & mandu-

manducare eius carnem, prorsus idem valere. Ita enim  
 ait: *Amen, Amen dico vobis, Qui credit in me, habet vitam æter-  
 nam.* Et postea: *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem,  
 habet vitam æternam.* Audis, manducare, velut ignotius,  
 per credere exponi: & utriq; eundem effectum siue finem  
 tribui, vitam æternam habere? Hanc Christi interpretatio-  
 nem fecutus Augustinus in libro de remedio Poenitentiae  
 scribit: *Vt quid paras dentem & ventrem? Crede & manduca nisi.* Et  
 quod ipsi credere & manducare una & eadem res sit, nec illa,  
 vt causam & effectum inter se conferat, sequentia eius verba  
 manifeste ostendunt. *Credere enim in eum, (inquit) hoc est pa-  
 nem & vinum manducare. Qui credit in eum, manducat eum.* Ad-  
 uertis Augustinum, nullum discrimen facere inter edere &  
 credere: sicuti nec Christus inter venire et bibere siue man-  
 ducale. Inquit enim: *Ego sum panis ille vita, qui venit ad me  
 (hoc est, qui manducat me fide) non esuriet, & qui credit in me (si-  
 ne, bibit meum sanguinem) non sicuter vnguam.* Nec apprehensio  
 praecedit potionem & manducationem: sed potio & man-  
 ducale spiritualis, est ipsa apprehensio & sumptio Christi:  
 & haec, tanquam una & eadem res, venire ad Christum, crede-  
 re in Christum, manducare eius carnem & bibere eius sanguinem:  
 eundem & communem effectum habent hunc: non esurire:  
 non fitire: habere vitam æternam: manere in Christo: vivere pro-  
 peer Christum. Ex quibus palam est, manducare & credere,  
 perperam a Caluino & Danæo distingui, & manducare  
 carnem Christi, nihil aliud esse, quam credere in Christum.  
 Quod etiam Dux factionis vestrae Zwinglius tom. 2. pag.  
 278. vidit, scribens: *Qui credit in eum, manducat eum. Christum  
 edere non aliud est, quam illi soli confidere.* Et Petrus Martyr,  
 Antesignanus de grege oppugnantium Maiestatem Chri-  
 sti hominis, scribit in Dialogo Tiguri, Anno 61, edito: *Vtq; pag. 124.*

## 44 Responsio pro Antisturmio D. D.

*Os illud animi res est non terrena, sed spiritualis: Ita manducatio  
hec non est propria sed metaphorica. Unde manducare corpus Christi  
ac eius bibere sanguinem, est verè ac efficaciter credere, illa nostri  
causa fuisse à Deo in mortem crucis tradita. Quid quæso aliud  
Osiander dicit, quām carnē Christi spiritualiter manducare,  
esse in ipsum credere: quod scilicet iuxta Nicænum symbolum,  
propter nos homines & nostram salutem descendenter  
de cœlo, & incarnatus de Spiritu sancto, homo factus sit,  
passus, mortuus, sepultus, & resurrexerit tertia die: Quo  
modo ergo peccauit ne definiendo, quod Christum et Au  
gustinum potius quam Calvinum secutus est?*

*Secundo vero loco negamus à nobis illa duo manducationis  
genera inter se confundi. Atq; nostræ sententiae fidem faciunt,  
vel ipsa Caluini verba, qui in cap. 6. Ioan. vers. 54. ad hac ver  
ba Ioannis: Qui manducat meam carnem, & bibit meum san  
guinem, habet vitam æternam, ita commentatur. Ex his verbis  
palam appareat, perperam de cœna exponi totum hunc locum.  
Nam si verum esset, quicunq; ad sacram Domini mensam se in  
gerunt, carnis & sanguinis eius fieri participes, omnes similiter  
vitam referrent. Scimus autem multis in exitium cedere. Et  
certè ineptum fuisset, ac intempestiuum de cœna tunc differere,  
quam nondum instituerat: ideo de perpetua fidei manducatione  
eum tractare certum est. Hac Calvinus, quibus nihil magis per  
spicuum esse potest, ut intelligat Osiander, neq; à nostris spiritua  
lem carnis Christi manducationem cum Sacramentali confun  
di: neque eum Ioannis locum à nobis ad cœnam Domini propriè  
& singulariter referri. Ex qua vna confusione ostendere con  
tantur Osiander, nostrum cum Luthero dissidium non in verbis  
sed in rebus ipsis positum esse.*

*Pijs & credentibus duplēcēt esse constat manducatio  
nem corporis Christi: vnam spiritualem, quæ sit sola fide,  
tam*

tam extra usum cœnæ quam in eo: de qua Ioannis 6. agitur.  
Alteram Sacramentalem, quando in cœna Domini cum  
pane corpus Christi ore sumimus: de qua in verbis institu-  
tionis CHRISTVS panem porrigenus, inquit: Hoc est cor-  
pus meum. Has duas manducationis species non vos con-  
siderare, sed Sacramentalem omnino tollere dicimus. Nul-  
lam enim aliam præter solam spiritualem, qua non ipsa sub-  
stantia corporis Christi, sed virtus & efficacia eius percipi-  
tur, agnoscitis: & qui indignè manducant panem cœnæ, eos  
corpus Christi manducare negatis. Vobis igitur Sacramen-  
talis manducatio, nihil aliud est, quam panis & vini sumi-  
ptio: hanc à Spirituali distinguete vos, non negamus: sed  
veram Sacramentalē manducationem corporis Christi, de  
qua Saluator in verbis institutionis agit, vestra doctrina  
tollit conquerimur. Et hoc à vobis fieri, vel ipsa Caluini ver-  
ba quæ citas, ostendunt, cum inquit: Si verum esset, quicunque  
ad sacram Domini mensam se ingerunt, carnis & sanguinis eius  
fieri participes, omnes similiiter vitam referrent. Sed nō omnes,  
vult dicere Caluinus, vitam referunt. Scimus enim multis in  
exitium cedere. Ergo non omnes cœna videntes participes  
sunt carnis & sanguinis Domini. Hæc de spirituali perce-  
ptione, quæ sola fide sit, si intelligentur, vera sunt: ad cœnam  
vero Domini translata, minime. Accidit enim confusio-  
ne hac concionis Christi, quæ habetur Ioan. 6. cum verbis  
cœnæ, vt Sacramentalis manducatio corporis Christi, pen-  
itus euertatur: Osiander vero accurate distinguendo & des-  
cribendo utramq; manducationis speciem, ostendit de Sa-  
cramentali, non autem spirituali controversiam esse: Ethisc  
partes litigantes non verbis solum, sed re ipsa dissidere:  
hocq; non tantum ex hac una confusione vestra, (vt tu fal-  
so ei attribuis) sed multis alijs rationibus, ab omnipotentia,

## 46 Responſio pro Antifurmio D.D.

Fol. 22, 23.  
omnipræsentia, omniscientia Christi hominis, ſeſſione eius  
ad dextram patris, & aliunde deſumptis, demonſtrat: quæ  
tu omnia aſtū eſ diſſimulas, vt cauſam Oſiandri eleueſ, &  
ſimplicioribus imponas. Nec etiam prætereundum: Danæus  
um allegando Caluini expoſitionem, (ad probandum diſ-  
ſtinctionem ſpiritualis manducaſionis a ſicta Sacraſenta-  
li) aſtu quodam eandem corrigere. Nam quod Caluinus  
verè ſcribit & probat, perperam de coena Domini totum  
hunc locum Ioannis exponi: Danæus Magistro perspic-  
cior, inquit: *Eum locum à ſe ſuisq; non propriè & singulariter ad*  
*cœnam referri: vt hac ſcilicet limitatione diuerticulum quæ-*  
*rat, quo ſibi & ſuis, caput Ioannis ſextum ad articulum cœ-*  
*næ per vim (quod omnes Caluiniſtæ hactenus fecerunt, &*  
*ipſe quoq; Danæus contra Magiſtri ſui doctrinam inſrafa-*  
*ciet) trahere liceat.*

Selneccerū verò unu ex iſta caterua, & iam factus Ly-  
ſia ubiquitarij erroris antefignanus, in libro inſcripto: Noceſ-  
ſaria reperiſio doctriṇa de cœna, pag. 18. & 19. de hoc negorio  
ita anno Domini 1578. ſcribebat, vt inter nos & Lutheranos  
non de fructu aut de re ipſa Sacraſenti: ſed de modo tantum  
manducaſionis certamen eſſe fateretur.

Pag. 18.  
Te ex caterua impie detrahentium Maiestati Christi,  
luculentā iniuriā Selneccerum, de Eccleſia Christi optimē  
meritum, afficere, verbis ipſius, in quibus MODI, ne men-  
tionem quidem facit, demonstrabo. Scribit autem hoc mo-  
do: *Ceterū quod attinet ad fructum ſive Spiritualem manduca-*  
*tionem, nulla eſt controverſia.* Hoc idem nos omnes face-  
mur. Et pag. 19. *De hac igitur ſpirituali manducaſione, inter*  
*eos, qui Sacraſentiarorum nomen Cinglianorum & ſimiliū ob-*  
*tinent, & inter noſtras Eccleſias, nulla eſt diſceptatio.* Et debebat  
hac ipſa de cauſa moderatio adhiberi & humanitas digna ijs, qui  
eiusdēm

# Osiandri, contra Lamb. Daneum. 47

eiusdem fructus participes & heredes esse student, atq; reprimi affectuum & animorum exulceratorum impetus insanus. Libenter enim idem cum ipsis sentimus & loquimur, & nihil eis auferimus, (quod scilicet fructum & spiritualem manducationem attingit) perimus autem, ne nobis auferant id, quod habemus. Nemo enim eripere sibi facile fert thesaurum, quem possidet. Cumq; confessio de spirituali manducatione sit una & eadem, nos autem insuper iuxta institutionis & Testamenti verba ab ipso Christo prolatas, etiam corporalem presentiam & manducationem corporis & sanguinis Christi in cena affirmemus, amanter & obnixè propter Christum testatorem perimus, ut hanc adiungitor πληροφορίαν τῆς Ανθείας τῷ δεοντέντῳ εγκαίστῳ στόματι λογισμῷ, οὐτε ὑπὸ φυσικοῦ οὐδέγκνου εἰσαγομένῳ, οὐτε πρὸς εὐσέβειαν ἐσχηματισμένῳ συσταλευμένῳ, nobis integrum & incontaminatum relinquant.

Vbi hīc Selneccerus fatetur, non de re ipsa Sacramenti, sed de modo tantum manducationis certamen esse? Imo consequitur, quod cum de fructu & visu cœnae vtrisque conueniat, vos tamen substantiam Sacramenti nobis auferre coenamini: significaturus, non de fructu, sed de substantia Sacramenti certamen esse.

Oecolampadius quoq; cui certè quidem istius controvèrsiae status erat notissimus, in eruditissimo illo Dialogo sic disertè ait. Natha. Ex dictis liquet, utring in confessio esse, adesse Christum in cena, manducariq; carnem & sanguinem eius. Oecolampa. Dissidium magis est de modo præsentiae vel absentia, quam de ipsa præsentia vel absentia. Nemo enim tam obtusus est, qui afferat, omnibus modis adesse vel abesse Christi corpus. Quanobrem aperte calumniatur Osiander, quum toties inculcat, hæc duo manducationis carnis Christi genera à nobis non distingui; & quum ait, nobis cum ijs. qui vere & sincerè sententiam M. Lutheri sequuntur, certamen esse de rebus, & non de verbis

## 48 Responsio pro Antisturmio D.D.

verbis, quibus ipsius rei, id est corporis Christi praesentia denotatur. Quae nisi nobis absoluendis sufficient, legatur Helvetica postrema confessio, cui nostra omnes Ecclesia subscripterunt: in qua disertis verbis spiritualis manducatio Christi à Sacramentali distinguitur.

Controversiae Sacramentariae status notior esse non potest, quām ex scriptis Polemicis Lutheri, Cinglij, & aliorum: ex quibus luce meridiana clarius patet (quicquid sicut Oecolampadius) de substantia Sacramenti etiam inter primos controversiae huius disceptatores dissidium fuisse, quid nimis sit illud, quod cum pane & vino, sumant tam digni quām indigni. De manducaione vero carnis & sanguinis Christi spirituali, hoc est, de fructu & vsu salutari coenæ Dominicæ, (de quo tuus Nathanael obscurè verbis substantialibus loquitur) nulla inter partes litigantes (quod sciam) controversia vñquam fuit: vt nec etiam de modo præsentia, quem Lutherus & nostri, sapientia & potentia diuinæ semper commiserunt. Sed Oecolampadius certam ne hoc ingrauescente, animaduertens suam & Cinglij opinionem de nuda significatione & figura corporis Christi, locum habere non posse, & clarissimis verbis institutionis ceu fulmine percelli & euerti: evidenter scripturæ conuersus statum transtulit, & corpus Christi adesse concedens, sed tantum spiritualiter secundum efficaciam, de modo presentia (cuius nec ipse nec Cinglius prius mentionem veliam fecerant) disputare coepit. Hanc fraudem Lutherus cum suis deprehendens, à vero statu dimoueri se passus non est, & contra aduersarios fortiter euicit, cum pane & vino substantiam corporis & sanguinis Christi ab omnibus coenæ vtentibus sumit: quod pars aduersa negabat. De hoc etiam nunc hodie certamen est: virisq; consentientibus de ve-

# Osiandri, contra Lamb. Danæum. 49

de vero vsu cœnæ, & spirituali mandatione, qua tantum digni fide fruantur beneficijs Christi. Et hæ sunt præstigia vestra, quibus lectori circum facere studetis, quod splenditissimis verbis de mandatione carnis & sanguinis Christi in cœna declamatis, reticentes interū, vos præter spiritali nullam putare, qua non ipsum corpus sed eius beneficia tantum percipimus. Quare nullo modo calumnias Osiander demonstrando, certamē de rebus potius quam de verbis esse: sed, tu Danæ, impudenter contra conscientiam tuam quid hoc negare ausis, miror. Et ubi Osiander toutes inculcat, vos non distinguere mandationis generalis quod tu ceu calumniam ei exprobas. Ego certè in toto Anno tñsturmio ne semel quidem istud reperio. Sed omnia eò abs te comparata esse video, vt singendo & calumniando immerentem lectori exosum reddas. Helueticam Confessionem non vidi: sed coniçcio, eam non meliorem hac tua præsentia, qua non inter Sacramentalem mandationem, quam Christus in cœna sua S. instituit, sed inter tuam inanem falsam & fictam, quam tantum symbolorum est: & spiritualem distinguis.

Præterea (in quo certum definitionis & sententia Osiandri vitium est) illud consequens esse nequaquam concedimus: ut quia spiritualis illa mandatio carnis Christi (de qua mentio est apud Ioannem cap. 6.) ab ea differt, qua in cœna fit, & Sacramentalis est, veraq; inter se neq; consentire neq; simul esse possit.

Quis hoc dicit Danæ? forsitan tibi cum Andabatis rem esse putas, vt cum te veritas destituat, tu pro arbitrio quiduis comminiscaris, illudq; aduersario ceu proprium tribuens, dum cum figmento cerebri tui ludis, aduersarium oppugnare & vincere videaris. Osiander sane hoc nusquam scribit: sed adeo necessariam esse utriuscq; conuenientiam

50 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

tia non assuerat, ut nisi sacramentalis cum spirituali coniuncta sit, non modo illa non prospicit, sed etiam oblitus. Cum quo ergo pugnas; cum larvis? Aut si Osiandro hanc vtriusque mandationis dissensionem affingis, an non te omnibus Bonis impudentissimum Calumniatorem esse prodis?

*Nam in cena Domini utraq manducatio concurrit in ijs, qui ex fide signis vescuntur. Illi enim & Sacramentaliter & Spiritualiter corpus Christi simul edunt: Sacramentaliter quidem, dum panem & vinum S. cœnæ edunt & bibunt: spiritualiter autem, dum fide ipsum, & essentiale corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi reuera participant.*

Ex his pius lector cognoscit, quibus præstigijs subdolum istud hominum genus Ecclesiæ Christi illudat. At Danæus, fideles & Sacramentaliter & spiritualiter corpus Christi SIMVL edere: sed statim sequentibus verbis sacramentalem mandationem corporis Christi, tantum pane & vino describit. Quomodo autem sacramentaliter corpus Christi comeditur, si non cum pane, iuxta Christi verba, hoc est corpus meum, accipitur? Deinde in spiritualis mandationis descriptione similiter fraudem admittit, & os lectori sublinit, affirmando: quod in cena fide ipsum & essentiale corpus & sanguinem Domini nostri IESV CHRISTI reuera participemus. Quis verbis hisce suorum subesse putaret? at paulo post Danæus suam fraudem prodet, quod non ipsum, & essentiale corpus & sanguinem Christi: sed tantum virtutem, spiritum, efficacitatem & beneficia carnis & sanguinis eius intelligere, & verborum præstigijs, more omnium sectariorum ludere, simpliciores naso suspendere & fallere, voluerit.

*Hic autem est istius Osiandrici & Vbiquieriorum omnium erroris fons, quod in Sacramentali mandatione (ubi ipsamet Christus*

Pag. 29.

Osiandri, contra Lamb. Danæum. 51

Christus editur, & non tantum signa) fidem minimè requirunt.  
Itaq; aiunt, in Sacramentali mandatione ipsummet corpus  
Christi ore ipso nostro edi & sumi: Et ipsummet sauginem ore  
sumi & bibi. Vnde ineptissimè concludunt, Sacramentalem man-  
dationem à nobis in mere spiritualem conuerti, ac mutari,  
quum in S. cena fidem requirimus, velut os ad ipsam Christi  
carnem edendam omnino necessarium. In quo certè Ubiquita-  
tij omnes grauißimè, quemadmodum dixi, labuntur, magna ha-  
rum vocum, Sacramentalis & Spiritualis mandationis,  
ambiguitate.

Aperte calumniaris Danæe. Nafni Sacramentalis man-  
datio, vt pro sit, fidem omnino necessariam esse credimus,  
fatemur & scribimus. Hoc autem dicimus: fidem accipien-  
tis, substantiam Sacramenti non efficere: sed solam institu-  
tionis voluntatem: & tam dignos quam dignos substantiam  
Sacramenti percipere: sed illos ad iudicium, quia vera fide  
care, quæ ad dignam & salutarem sumptionem omni mos-  
do requiritur, vt nobis virtutem, beneficia, & meritum cor-  
poris & sanguinis Christi applicemus. Vnde & tuam con-  
clusionem falsissimam esse appetet, quod dicamus: vos Sa-  
cramentalem mandationem in mere spiritualem con-  
uertere, quia fidem requiratis. Quis istud in vobis hoc no-  
mine reprehendit vñquam: Sacramentalem corporis Chris-  
ti mandationem vos omnino negare, & quantum in  
vobis est, tollere, arguimus. Quia verbis Christi fidem nul-  
lam habetis, eumq; affirmantem, *Hoce est corpus meum,* in  
credulitate vestra mendacem facitis. Deinde ambiguë &  
captiose abs te dicitur, *In Sacramentali mandatione ipsum*  
*Christum comedи, non tantum signa.* Si spiritualem cum Sacra-  
mentalí coniungis, (quod verbis manifestis fieri oportebat,  
& dici secundum te: vbi ipsemet Christus spiritualiter cō-

52 *Responsio pro Antistormio D.D.*

editur) vera scribis: si de Sacramentali distinetē, vt sit  
pr'a, loqueris; falsum id est iuxta tuum dogma: & quod mo-  
dō negaueras, id nunc affiras. Nulla igitur in parte doctri-  
nae Christianæ nos labi manifestum est. Nec etiam ullam  
ambiguitatem in Sacramentali & spirituali manducazione  
agnoscimus, sed eas accurate ex Christi & Pauli verbis di-  
stinguimus. Vos vero creberimē ambiguitate sermonis &  
impostur à turpissima luditis, quasi substantialem præsen-  
tiam corporis & sanguinis Christi in cœnā, iuxta Christi  
verba, concederetis: interim corpus ipsius certo cœli loco  
ita alligatis, vt nobis in terris præsens esse non possit. Quo  
ipso grauissimē impingitis in Testamentum filij Dei, &  
Majestatem Christi hominis, quæ per summam audaciam  
conuellere non verecundamini.

Sic enim eas inter se opponunt & committunt, vt una alterius ne-  
quaquam sit ob-signatio. At qui manducatio Sacramentalis sub-  
seruit ei, quæ spiritualis est: & eadem manducatio simul &  
Sacramentalis & spiritualis quoq; sape est.

Cum tuum libellum refutandum susciperē, ab omni  
verborum vehementia abstinere constitueram: sed profis-  
gata in te fingendi, ac peruerterendi libido, præter naturā me  
agere cogit. Siquidem non vereris ea tribuerem nostris, de  
quibus ne vñquam cogitarunt quidem, quæ etiam verbo  
nullo probare insistis, satis esse putans, quouis modo onera-  
se doctrinam nostram, vt ea ceu impia & veritati repu-  
gnans, exosa reddatur hominibus tuis. Quis enim ex no-  
stris has duas manducactionis species ita inter se opposuit, vt  
una alterius ob-signatio non sit? An non potius omnes unae  
nimis consensu docent, Sacramentalem subseruire spiritua-  
li, hancq; roborare & confirmare in pījs & dignē sumentie  
bus; Et vicissim spiritualem perficere Sacramentalem, sicq;  
mutuas

Osiandri, contra Lamb. Danæum. 53

mutras operas tradere, ut nulla earum oppositio, sed potius suavisima harmonia appareat: Hæc tu prob' e nosti, si modo per contemptum & arrogantiā nostrorum libros legere non fastidis: & tamen eas inter se committi ab ipsis, non eruſis scribere?

Sacramentalis manducatio duplex est, una, per quam signa duntur at, nempe panis & vinum cœna à sumentibus eduntur, minime autem res signata participatur. Hæc merè Sacramentalis est, quia neq; spiritualis est, neq; fidem coniunctam habet, neq; carnem ipsam Christi: sed signa tantum carnis edit. Hac manducaſione hypocrita, & indigni, & mali homines impenitentes, dum ad mensam Domini accedunt, signa duntur at carnis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi sumunt, non ipsum Domini corpus. De hac dixit August. Iudas Domini proditor sumpsit panem Domini, non panem Dominum: De hac idem quoque in Ioan. Euang. tral. 27. ait, qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat spiritualiter carnem Christi, nec bilit eius sanguinem, licet carnaliter & visibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & sanguinis Christi.

Huic tuæ definitioni Sacramentalis manducationis, tanquam falsissimæ, Christus qui veritas est, & Paulus fidelissimus ipsius Apostolus, orthodoxa quoq; Ecclesia, magno Consensu contradicunt. Nam Christus author S. coeūt, absq; respectu ullius hominis sumentis, de substantia cœnae, panem & vinum porrigenſ, inquit: *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus: Nec Iudeæ quem indignum esse nouerat, dicit: Accipe, comedē & bibe, hoc est panis & vinum: sed ex æquo omnibus dicit: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: Hic est sanguis meus, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Deinde hæc Christi

54 *Reffonsio pro Antisturmio D.D.*

verba, licet perspicua & clara, ad confirmationem tamen &  
maiorem certitudinem fidei nostrae, Paulus his verbis ex-  
plicat, *poculum benedictionis, quod benedicimus nonne novavia sanguinis Christi est?* quasi dicat, nonne cum pane & vino nos  
guinis Christi est? Et hæc de sub-  
stantia cœnæ simpliciter dicit, absq; respectu vel digni vel  
indigni. Quod si panis spiritualis tantum novavia est corporis  
Christi, hoc est, Spiritus, virtutis, efficacie & beneficio-  
rum, non autem substantiae eius, alterutrum sequi necesse  
est, aut indignos etiam spiritualiter participes fieri corporis  
& sanguinis Christi, iuxta verba eius, quæ omnibus & sin-  
gulis dicuntur, *Hoc est corpus meum: quod falsum est: aut*  
panem qui ab indignis accipitur non esse novavia corporis  
Christi: cum tamen Paulus indefinite, absq; vlla limitatio-  
ne, dicat: Panis est novavia corporis Christi. At secundum  
vestram sententiam dicendum fuisset, panis quem digni  
accipiunt, est novavia corporis: panis autem indignorum,  
præter panem nihil est. Et sic sapientia & veritas Dei, a  
stultitia & mendacio Caluinistarum iustificatur.

Quemadmodum vero fides nostra, essentia & veri-  
tatem verbis Christi non largitur, sed ipsius institutio &  
voluntas, ut videlicet corpus Christi non ideo accipiamus  
in cœna, quia nos credimus, sed quia Christus de pane dis-  
xit: Hoc est corpus meum: Ita incredulitas quorundam, fra-  
dem verborum Christi de substantia cœnæ, non facit irri-  
tam. Quid enim absurdius, quam fidem nostram, verba  
Christi, *hoc est corpus meum*, vera & realia: incredulitatem  
autem (quod fieri necesse esset) eadem falsa efficere. Au-  
gustinus certe lib. 3. contra Donatistas, Cap. 14, inquit: Na-  
interesse, cum de Sacramenti integritate & sanctitate tractatur,  
quid credat, & quali fide imbutus sit ille, qui accipit Sacra-  
mentum.

tum. Interesset quidem plurimum ad salutis viam, sed ad Sacramenti questionem nihil interesset. FIERI ENIM POTEST, UT HOMO INTEGRVM HABEAT SACRAMENTVM, ET PERVERSAM FIDEM. Audis integratatem Sacramentum non dependere a fide sumentis. Quae autem est coenæ Dominicæ integritas, nisi novacula panis & corporis, vini & sanguinis? Hoc integrum Sacramentum tam indigni quam digni accipiunt. Omnibus enim sine discrimine Christus inquit: Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus, sed illi bonum & integrum Sacramentum, ad iudicium, non ad salutem manducant.

Inania igitur sunt, quæ de mera Sacramentali manducatione absq; scripturæ fundamento scribis. Nec ipse, quem allegas, Augustinus suffragatur tibi. Quid enim manifestius, quam illum distinguere inter spirituale & Sacramentalem manducationem Christi? Nam cum Christus Ioan. 6. dicat: Ego sum panis ille viuus, qui de celo descendit. Si quis ederit ex hoc pane, viuet in aeternum. Augustinus secundum hæc verba, Christum panem Dominum vocat, quem tantum undecim Apostoli manducarint, eo videlicet modo, qui Ioan. 6. describitur: & quo impenitentes Christum manducare non possint, quia vera in ipsum fide carent. Iudas vero panem Domini sumpsit, de quo ipse Dominus dixit: Hoc est corpus meum: quod etiam indigni accipere possint, sed ad iudicium. Christus enim corpore & sanguine suo tam potens est ad iudicium exercendum in indignos, quam vitam in fideles. Et quod hæc Augustini mens sit, ipse nos certiores facit in libro contra Fulgentium cap. 6. scribens: Sicut qui manducat & bibit sanguinem Domini indignè (audis sanguinem Domini indignè posse bibi) iudicium sibi manducat & bibit;

56 *Responso pro Antisturmio D.D.*

bibit: sic & qui accipit, indignè baptisma, iudicium accipit non salutem. Nam, ut Iudas proditor bonum corpus, & Simon Magus bonum baptismum Christi percepit, sed quia bono bene non res sunt, mali male vidento deleti sunt. Idem in Epistola 162. inquit: Tolerat ipse Dominus Iudam, Diabolum, furem & venditorem suum, & sicut accipere inter innocentes discipulos, quod norunt fideles PRECIVM NOSTRVM. In quo Augustini loco, accipiendi verbum, contra Sophisticam distinctionem tuorum, de exhibitione, sed non acceptance corporis Christi, obseruandum est. Ad hæc ineptè admodum pro confirmatione falsæ definitionis tauræ, locum Augustini citas. Is enim tantum spiritualem mandationem carnis Christi (de qua controuersia nulla est) non etiam Sacramentalem, qualem supra ex Christi & Pauli verbis descripsi, indignis auferit: quod plurimis testimonij probare, difficile non esset: sed satis sit, tria illa maximè illustria modo posuisse, quibus unius cum adhuc addam. Scribit Augustinus libro 5. contra Donatistas cap. 8. in hæc verba: Sicut Iudas cui bucellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed male accipiendo, locum in se Diabolo prebuit: sic indignè quisquis sumens Dominicam Sacramentum, non efficit, ut quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. CORPVS ENIM DOMINI ET SANGVIS DOMINI, nihilominus etiam erat illis, quibus dicebat Apostolus, qui manducat indignè, iudicium sibi manducat & bibit.

Altera est, per quam & signa, & res signata, id est, ipsa quoque Christi caro & sanguis in eadem S. cena eduntur, bibunturq. Hæc est Sacramentalis & spiritualis, & fidem requirit, que & signa, & verè Christum quoque ipsum sumit. Hac mandatione verè fideles tantum, & digni & penitentes (dum ad Domini mensam adeant) percipiunt simul & signa, & rem ipsam significatam:

# Osiandri, contra Lamb. Danæum. 57

eatam: quanquam tamen utrumq., neque eodem modo, neque eodem instrumento. Signa enim sumunt ore corporis: rem autem significatam, id est, ipsum corpus Christi ore animi, i. fide: Signa ipsa praesentia corporali, & locali praesentiae modo: Rem vero significatam, id est, carnem & sanguinem Christi virtutem quidem, spiritu ac efficacitate sua praesentem, corporalis autem & localis praesentiae modo longissime absentem.

Hæc vere, proprie, & in specie Sacramentalis manducatio est, non autem Sacramentalis & spiritualis simul. In hac enim distincte, aperte & sine ambiguitate, secundum vestram opinionem loquendo, non ipsa Christi caro & sanguis, sed tantum virtus, efficacia & beneficia Christi, fide cum signis percipiuntur. Vera autem Sacramentalis & spissitalis simul, iuxta Christi in verbis institutionis, & Pauli 1. Cor. 10. & 11. descriptionem, hæc est, in qua cum pane & vino ipsum Christi corpus & sanguis, eorumque beneficia ore & fide percipiuntur. Et hoc utroque modo simul, particeps tantum poenitentes: substantiam quidem coenæ, (quam tu solo pane & vino describis) hoc est, panem & corpus, vinum & sanguinem ore corporis, iuxta veritatis verba, accipite, comedite, hoc est corpus meum: accipite, bibite, hic est sanguis meus: Vsum vero, fructum & beneficia ipsius corporis & sanguinis Christi, ore fidei. Hæc tu perperam his verbis expressisti: Signa enim sumunt ore corporis. Vbi nos sacrilegè prius substantia corporis & sanguinis Christi, quam nobis Christus ipse disertis verbis promittit, cumque symbolis offert & donat. Rem autem, inquis, significatam id est, ipsum corpus Christi ore animi, id est, fide. Et quod non ipsum corpus Christi corpus & sanguinem (quod hactenus astute dissimulaueras, vt lectori fucum faceres) sed eius evagere & tantum intelligas, vel tandem te nobis prodis, insciens.

H

Rem

58 *Responsio pro Antisturmio D. D.*

Rem vero significat am, id est, carnem & sanguinem Christi virtute quidem, spiritu ac efficacitate sua presentem: corporalis autem & localis presentiae modo longissime absentem.

Hoc dicturus (quod pius lector ben'e meminerit) non ipsam carnem & sanguinem Christi in coena sumi, sed tantum virtutem, spiritum, &精英 eius: ipsum autem corpus & sanguinem Christi tanto locorum interuallo a coena S. abesse, quantum summum cœlum a terra distat. Hæc est mens', hæc sententia Cinglianorū, quæ plerunque speciosis verbis essentiæ carnis & sanguinis Christi occultare solent, ac si ipsius substancialis corporis & sanguinis Christi præsentia, iuxta Christi institutionem assererent: cum tamen eam longissime a coena ingenti audacia, contra Christi voluntatem remoueant, eoque veritatem ipsam mendacem faciant, dicentes: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod profidetur vobis datur: bibite, hic est sanguis meus, qui pro multis effunditur: quæ verba non nisi de substanciali ipsius corpore & sanguine intelligi possunt & debent. Ex quibus etiam classissime pater, non de verbis, sed rebus, hoc est, substancialis corporis & sanguinis Christi certamen esse: quam vos, in summum cœlum ita locatis, ut ante nouissimum diem nobis in terris præsens esse non possit: nos autem totum Christum secundum utramque naturam Ecclesiæ suræ adesse, non modo locali & Physico, sed supernaturali & diuino, quo se det ad dextram Dei: nobisque in coena non tantum beneficia & merita sua, sed ipsum quoque corpus & sanguinem suum, quibus nobis vitam promeritus est, in fidei nostræ confirmationem exhibere, secundum scripturam & orthodoxyæ Ecclesiæ consensum, indubitanter eredimus.

Sic igitur est Sacramentalis manducatio duplex. Quemadmodum enim Sacramentum significat, vel signum dunt a taxat, vel ratione institutionis Christi actionem: sic manducatio Sacramentalis est,

que

qua vel signi tantum: vel totius Christi beneficij, id est & signi,  
 & rei ipsius in signis demonstrata sumptionem coniunctam ha-  
 bet. Sed rei Sacramentalis manducatio duplex est: sic & spiri-  
 tualis. Nam quæ spiritualis dicitur, aut merè spiritualis est,  
 qualis est ea, quæ sit sola fide, absq; vlo signorum vñu, de qua  
 apud Ioannem cap. 6. proprie loquitur Christus: aut eadem eti-  
 am signorum, tanquam sigillorum, accessionem & adiunctionem  
 habet, quibus quasi vestitur, atq; ornatur, qualis fit in cœna  
 Domini, omnibusq; alijs Sacramentis. Ex quo fit, ut pessime  
 concludant Vbi quitaris, dum fidem in S. cœna, ad ipsam Christi  
 carnem edendam, & sanguinem bibendum, requirimus, spiri-  
 tualem manducationem (de qua fit à Ioanne mentio) cum Sa-  
 cramentali (qua in cœna Domini instituta est) à nobis con-  
 fundi, quasi nunquam eas vel separamus, vel distinguamus.

Paulo ante demonstravi, nullam esse Sacramentalem  
 manducationem, quæ tantum signa, & non etiam signata,  
 id est, ipsum corpus & sanguinem Christi percipiat. Hæc  
 enim natura & substantia huius Sacramenti ex Christi in-  
 stitutione est, vt non nuda symbola, sed cum his ipsum cor-  
 pus & sanguis Christi accipiāntur, sine quibus Sacra-  
 mentum hoc esse nequit. Quod ipsum Augustinus confirmat, August. in lib. fenten-  
inquiens: Hoc est quod dicimus, quod modis omnibus approbare tariū Pro-  
contendimus, Sacramentum hoc duobus confici: duobus constare: spéri.  
 visibili Elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Chri-  
 sti carne & sanguine. Hæc est Sacramenti cœnae Dominicæ  
 integritas, de qua cum tractatur, vt idem Augustinus lib. 3.  
 contra Donatistas cap. 14. inquit, non interest quid credat,  
 aut quali fide imbutus sit ille, qui Sacramentum accipit.  
 Fieri enim potest, vt homo integrum habeat Sacramen-  
 tum, & peruersam fidem. Nam integritas Sacramenti ex  
 vi institutionis Christi pendet, vt quia ille dixit: hoc est

60 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

corpus meum, hic est sanguis meus, ideo hæc ad sint, non quia nos credimus. Ad salutis quidem viam, inquit Augustinus, interest, quali fide imbutus sit ille, qui Sacramentum accipit, non ad Sacramenti quæstionem. Sacramentum enim unum & idem est, quoad substantiam, dignis & indignis: sed non una & eadem efficacia. Salus namque propria est bonis, ut idem libro 7, cap. 33. contra Donatistas testatur. Quam verò fraudem in Sacramentalis mandationis distinctione admisisti, defraudando nos ipso corpore & sanguine Christi: eadem quoque rapinâ, in spirituali distinguenda vti voluisti. In coena enim sacra, spiritualis manducatio prater signorum usum, ipsius etiam corporis & sanguinis Christi, (quibus tu preciosissimis salutis nostræ pignoribus Ecclesiam priuare studes) cum beneficijs meriti ipsius, communicationem habet. Et hæc manducatio tantum in coenæ Sacramento, non etiam in alijs fit. Talia enim sunt Sacramenta, quale est verbum. Solum autem coenæ Sacramentum, verbum hoc de sumptione corporis & sanguinis Christi cum symbolis externis, habet. Ex quo palam est, te falso tribuere nobis confusionis in vos reprehensionem. Non enim ignoramus, nec etiam negamus, vos fictam & inanem vestram Sacramentalem mandationem à spirituali distinguere: nec etiam arguimus, quod fidem requiratis ad spirituali sumptionem corporis & sanguinis Christi in coena, nam & nos illam necessariam esse doceamus: sed quod Sacramentalem ipsius corporis & sanguinis Christi acceptiōnem, quam ipse salvator disertis verbis Ecclesiæ suæ ordinavit, penitus tollatis: huius vos sceleris nefarij accusamus. Sed illi ipsi potius errant, & quidem turpissem, qui absq; fide essentialem sanguinem libi contendunt, id est, qui volunt aliquid sine sumptione.

# Osiandri, contra Lamb. Danæum. 61

pione, sine ore, sine denribus ad illud destinatis ac necessarijs, posset tamen manducari. Hac n. omnia sola fides in ipsius carnis Christi esu, & sanguinis potu, praestare potest, quia sola, siue cum cena signis, siue extra cenæ signa, Christum apprehendit, sola edit, sola nos illi incorporat, sola deniq; nostra cum eo vniōnis, ac per eum viuificationis, instrumentum est, idq; etiam omnino, id est, necessitate, ut aiunt in scholis, absoluta, necessarium.

Prius ostendi, essentialis corporis & sanguinis Christi communicationem in coena fieri, non fidei sumentis iure, sed virtute & veritate instituentis: ut quia ille omnibus dicit: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, id est, quod accipitis, comeditis, & bibitis, illud est corpus & sanguis meus: ideo ab omnibus coena vtentibus illa sumi: & nulla ratione integratatem Sacramenti ex fide & dignitate suscepimus, sed sola institutione Christi pendere: & quemadmodum integrum Sacramentum omnibus offertur: ita etiam ab omnibus integrè recipi. Nam incredulitas hominum, in absolute, sineulla conditione vel limitatione promissis, ut fidem & veritatem Dei irritam faciat, impossibile est. Nō igitur erramus, credendo, esse entale corpus Christi etiam ab indignis sine viuifica fide, ex sola vi institutionis, cum Symbolo panis accipi posse: cum illis Christus æquè suum corpus & sanguinem offerat, & quod offerat, & quod accipiant, non tantum panem & vinum, sed etiam corpus & sanguinem suum esse, promittat: & nusquam in scriptura ( sine qua nihil in sacris affirmandum est ) legatur, indignos tantum Symbola externa percipere. Quis igitur Christo affirmani, nisi coenâ ipsius indignus, fidem non habebit? Istud vero ( quod nōoris ) fides efficit, ut communicatio corporis Christi Sacramentalis, sumentibus salutaris fiat. Hac fide carnem Christi spiritualiter in coena, & extra eam, comedimus.

62 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

mus, hoc est, beneficia ipsius nobis applicamus: hac media  
ante, Christo spiritualiter incorporamur & vniur, vt vita,  
qua nunc in carne vivimus, in fide filij Dei vivamus, nec nos  
vivamus amplius, sed Christus in nobis vivat: Id est fides pre-  
stat non necessitate absoluta, vt tu inepte & impie philoso-  
pharis, sed necessitate hypotheseos, vt Philosophi loquun-  
tur, cum ita ordinari & decreuerit Christus, seipsum nobis  
his medijs dare. Posset enim alio quoque modo & instrumen-  
to se nobis communicare. Nam praeter solum Deum, nihil  
absolute necessarium est, quia non potest non esse, & se-  
ipso, non propter aliud, est. Reliqua omnia, super natura-  
contingentia sunt, cum etiam non esse potuerint. In his si  
quae necessaria sunt: ex hypothesi, non absolute, quia pro-  
pter aliud, istud sunt. Verum eorum audaciae & impietatis pro-  
gressi estis, vt omnipotentiae Christi modum determinare  
non dubitetis, quo agere nobiscum, vel non, posset: quasi  
mensuram sapientiae & potentiae ipsius perspectissimam  
habeatis. An non enim insignis temeritas & impietas haec  
est, affirmare: absoluta necessitate, per solam fidem nos  
Christum comedere: sola fide nos ei vñiri & incorporari:  
per solum instrumentum fidei nos vivificari posse? Hoc est  
omnipotentiae Christi compedes iniçere, & primum artis-  
culum fidei nostrae negare, quasi non alijs quoque medijs, mo-  
dis, & instrumentis, praestare id potuerit.

Quod si hic excipiant Vbi quidarij, quod solent, Paulum de indignis  
dixisse, eos manducare corpus Domini, illius sumpti reos esse,  
illud Vbi quidarij pernegamus. Aperta enim sunt Pauli verba,  
qui ait, indignos panem, & poculum Domini, id est, signa ipsa  
edere, non autem ipsummet Christi corpus. Et quod eosdem ta-  
men vocat corporis & sanguinis Domini reos, eosque indicium  
sibi sumere testatur: non idcirco vocat Paulus reos, quod ipsum  
corpus

Osiandri, contra Lamb. Danæum. 63

corpus Christi ederint : neq; idcirco illi iudicium sibi accersunt ,  
quod sumperint : sed quod sumere corpus Domini neglexerint .  
Itaq; non discreuerint hunc panem Sacramentum à reliquo ge-  
nere panis , ac cibi vulgaris .

Tibi citra scripturam quiduis pro arbitrio affirmanti  
& neganti perspicue demonstrabo , indignos non tantum  
Symbola panis & vini , sed etiam ipsum Christi corpus &  
sanguinem in coena accipere . Aperta enim sunt Pauli vers-  
ba : *Quisquis ederit panem , aut biberit poculum Domini indignè ,*  
*reus erit corporis & sanguinis Domini .* Quam vero ob causam  
Apostolus indignè sumentes reos agit corporis & sanguis-  
nis Domini , & non potius panis & vini Symbolici ? Quia  
nimirum indignè comedenterunt panem , de quo Christus dis-  
xit : *Hoc est corpus meum , & de quo Paulus affirmauit , panis ,*  
*quem frangimus , non ne novacula corporis Christi est .* Et indignè  
biberunt poculum , de quo Christus ait : *Hic est sanguis meus .*  
& Paulus : *Poculum benedictionis , quod benedicimus , non ne com-*  
*municatio sanguinis Christi est .* Ideo non panis & vini , sed  
corporis & sanguinis Christi , ipsos reos fieri affirmat . Et  
quod non negligendo corpus Domini ( vt tu absq; scriptu-  
re testimonio pueriliter ineptis ) sed edendo & bibendo rei  
fiant . Paulus manifestè docet , subiungens : *Nam qui edit &*  
*bibit indignè , ( panem nimirum benedictionis , qui communio est*  
*corporis Christi , & poculum gratiarum actionis , quod communica-*  
*tio est sanguinis Christi , ) iudicium sibi ipsi edit & bilit .* Audis ,  
indignos iudicium sibi edere & bibere , non negligendo ac-  
cessere ? Quare vero hoc non inquit : quia non discreuerit  
hunc panem , ( vt tu peruersè tuo more , ex Augustino pro-  
bare niteris ) à reliquo genere panis ac cibi vulgaris : sed quia  
non discreuerit corpus Domini . Quod ipsum , Augustinus  
quoq; in loco abs te depravato , tractatu 62 , in Ioannem clas-  
sissimis verbis asserit , vt iam ostendetur .

Sed

## 64 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

Sed obijsis tu: *Ipsa caro Christi sumpta, nunquam nou& salutaris, & viuifica es. & qui eam edit, vitam æternam sibi sumit, nunquam autem iudicium, condemnationemq; suam mandat.*

Si fides vera mandationi Sacramentali accedat, verum est, carnem Christi hoc modo sumptam, semper viuisficam esse: at semper salutarem dicere, & quod nunquam ad iudicium sumatur, à veritate alienum est. Inquit enim Paulus, qui edit & bibit indignè, pane inimicum & calicem benedictum, qui non tantum panis & vinum est, sed etiam corpus & sanguis Domini, ille iudicium sibi p̄s edit & bibit, non discernens corpus & sanguinem Domini ab alio videlicet communi cibo. Sic enim Augustinus hæc verba intelligit, & explicat, tractatu 62, in Ioannem, scribens: Recordamini unde sit scriptum: quicunq; manducauerit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Et de his erat sermo, cum hoc Apostolus diceret, *QVI DOMINI CORPVS, (non dicit panem) VELVT ALIVM CIBVM QVEM LIBET, INDISCRETE NEGLIGENTER. QVE SVMEBANT.* Hic ergo si corripitur, qui non dijudicat, hoc est, non discernit à ceteris cibis *D OMNICVM CORPVS:* quomodo non damnatur, qui ad eius mensam fingens amicum accedit inimicus? Et D. Chrysostomus, Hom. 45, in Ioannem, eadem Pauli verba, de indignorum mandatione, explicans, scribit: *Q VI MANDVCAT ET BIBIT INDIGNE SANGVINEM DOMINI, IVDICIVM SIBI MANDVCAT ET BIBIT.* Nam si, qui regiam purpuram coquinant, haud seculis quam qui scindunt, puniuntur: quid mirum, si, qui immunda conscientia Christi corpus accipiunt, idem supplicium subeant, quod,

quod, qui eum clavis cruci affixerunt? Nec absurdum est, viuis  
ficum Christi corpus indignè sumentibus lethale fieri. Do-  
cet enim Augustinus lib. 3, contra Donatistas cap. 13. Alis  
quod bonum, non solum vitam posse operari bene vtentie  
bus, sed etiam mortem male vtentibus. Et lib. 1. cap. 35. con-  
tra Cresconium, ad corpus Christi hoc vñua transfert, scri-  
bens: *Quid de ipso corpore & sanguine Domini, vñico sacrificio  
pro salute nostra, quamvis ipse Dominus dicat: nisi quis mandu-  
cerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se  
vitam?* Non ne idem Apostolus docet etiam, *HOC VNI-  
CVM SACRIFICIVM PERNICIO-  
SUM FIERI MALE VTENTIBVS,*  
air enim: *Quicunq; manducauerit panem, & biberit calicem Do-  
mini indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini?* Audis,  
male vtendo, non sumere negligendo, corpus Christi per-  
niciosum fieri? Et Chrysostomus in homilia de proditione  
Iudei inquit: *Sicut corporalis cibus cum ventrem inuenerit  
aduersis humoribus occupatum, amplius laedit, magis no-  
cet, & nullum præstat auxilium: ita & ipse spiritualis cibus,  
si aliquem repererit malignitate pollutum, magis eum per-  
det, non sua natura, sed accipientis vitio.* Eiusmodi plura  
in Patribus extant, quæ causa breuitatis omitto.

Sed hoc perpetuo errore, & se, & alios homines isti decipiunt, & in-  
volunt, quod volunt, esse carnem & sanguinem Christi  
coniuncta esse re ipsa, inseparabili nexu, & situ loci cum pane &  
vino ipso cœna Domini. Contrà verò Prospere, & quidem præ-  
clarè, Qui discordat à Christo, ait, nec carnem Christi mandu-  
cat, nec sanguinem bibit, etiam si tanta rei Sacramentum ad  
iudicium suæ præsumptionis quotidie indifferenter acci-  
piat.

Tibi inani Sophistica decepto, error in Theologia vis

I detur

## 66 Responso pro Antisturmio D.D.

detur illud, quod cum ratione pugnat, licet fundamento  
scripturæ firmissimo nitatur. At nos verbi Dei ductum con-  
tra rationis iudicium (vix nostrum in obsequium Christi ex Apo-  
stoli voce captiuandum scientes) sequi didicimus, nihil mo-  
rantes rationis absurdia. Cum igitur Christus dicat, hoc est  
corpus meum, non Metonymicum vel Symbolicum, sed  
quod pro vobis traditur: & Paulus dicat, panem esse com-  
municationem corporis Christi, & velit hoc corpus ab alijs  
cibis discerni, ne in iudicium sumatur: nobis Christi verbis  
fidem habentibus, & in sermone eius permanentibus, ut  
veri ipsius discipuli simus, & à veritate non aberremus, du-  
bium planè nullum est, quin carnem & sanguinem Christi  
cum Symbolis coniuncta, accipiamus. Non autem situ loci  
coniuncta illa dicimus, (quam tu nobis opinionem, calum-  
niandi studio falso adscribis) siquidem non physicam aut  
localem, sed supernaturalem & diuinam, realem tamen pre-  
sentiam corporis & sanguinis Christi, in coena statuamus.  
Et in hac pia sententia contra rationis censuram, præter scri-  
pturæ clarissima verba, nos insuper quoq; confirmant anti-  
qui Patres: ex quibus cum reliquis multis Chrysostomus  
homilia 83. in Matth. scribit: *Credamus ubiq; Deo, neq; contu-*  
*dicamus ei, etiam si sensi & cogitationi nostræ videatur abfur-*  
*dum esse, quod dicit, superet q; & sensum & rationem nostram ver-*  
*bum ipsius, quod in omnibus, & præcipue in mysterijs faciamus,*  
*non illa solummodo, quæ præ oculis posita sunt, afficientes: sed ver-*  
*ba quoq; eius tenentes. Nam verbis eius defraudari non possumus.*  
*Sensus vero noster deceptu facilimus es. Illa falsa esse non pos-*  
*sunt, hic sapius atq; sapius fallitur. Q V O N I A M E R*  
*G O I L L E D I X I T: H O C E S T C O R P U S*  
*M E V M, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis*  
*intelleximus id perspiciamus. Ut autem intelligas, quo sensu*  
*Chrys*

Ioan. 8.

Chrysostomus Christi corpus accipiat: aliud ipsius testimoniū clarissimum proferam, vt videoas, ipsi cum reliquis orthodoxis patribus, minimē erroneum visum fuisse, iuxta proprium verborum Christi sensum afferere essentialis carnis & sanguinis Christi cum Symbolis cœnæ sumptionem.

Hac autem ipsius verba sunt in i. ad Corinth. homil. 24.

*Quod si hominis vestem nemo temere attingeret, quo pacto omnium Domini corpus purum & immaculatum, quod diuinæ illius naturæ particeps est, propter quod & sumus & viuimus, propter quod habemus ne in corpore inferni fractæ sunt, & celorum apertæ, tanta cum ignominia accipiemus?* Verum vt tua redargutio erronea & falsa est: ita probatio nullius momenti, & inconueniens. Cum enim probandum tibi incumberet: in cœna nullam esse coniunctionem realem essentialis corporis & sanguinis Christicū Symbolis externis: tu ex Prospero ( loco non assigñato, vt quali fide citaris eum, inspicere non potuerim ) indignis confirmas, eos nec carnem Christi manducare, nec sanguinem bibere: quod de spirituali manducazione nemo hominum negat. Et de hac ipsum loqui certum est, cum verba hæc Prosper ex 26. tractatu Augustini in Ioannem, vbi ferè eadem ponuntur, repetierit. Et quod ipse quoque Prosper, substantialem præsentiam carnis & sanguinis Christi in coena Dominica afferat, nec tuo errori, quo te aliosq; inuoluis, quicquam patrocinetur, ex libro sententiarum Augustini manifeste liquet, scribens: Hoc est quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus, sacrificium Ecclesiæ duobus modis confici: duobus constare: visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine. Hoc integro Sacramento tam indigni quam digni participant: sed illi ad iudicium, vt suprà ex scriptura & patribus ostendi.

## 68 Responsio pro Antisturmio D.D.

Ex quo quartum Osiandri vitium apparet, in superiori illa differentia à se, inter Sacramentalem & spiritualem carnis Christi mandationem allata: nimirum, quod cùm in Sacramentali mandatione semper ipsam carnem Christi edi existimet, & scribat, eandem tamen mandationem negat esse semper salutare. Quæ duo sunt inter se prorsus pugnacia, planeq; & cœusata: quasi ut quam esse posse ipsa Christi caro, Osiander, non & viua & viuificasumentibus. Qua eam virtute priuare magis absurdum est, quam ipsum solem luce: hominem ratione: terram pondere: & ignem suo calore.

Nostram orthodoxam sententiam de Sacramentali mandatione corporis Christi, quod non tantum salutaris, sed etiam exitiosa, indignè nimirum sumentibus, esse possit, nihil habere vitij, pugnantiae vel & cœusatorias, suprà ex Paulo & Patribus planissimum feci, ostendens carnem Christi vspiam esse posse, vbi non vitam, sed iudicium operetur. Sed iudicium ei tribuentes, virtutem viuificam nequaquam eidem auferimus. Quemadmodum enim sol diuersos, imò contrarios effectus, diuersorum obiectorum ratione sortitur, vt & induret, & liquefaciat: ita quoq; Christi corpus, pro ratione diuersorum obiectorum, in quæ insidit, contraria operatur: in pijs & pœnitentibus salutem: in indignis iudicium. Et sicut cibus (vt inquit Chrysostomus in homilia 61. ad Antiochenos) cum sit nutritius, si a crudo sumatur, omnia corruptit & sit morbi causa: ita scilicet & tremenda mysteria. Christus enim à Patre suo & Saluator, & iudex, constitutus est: quod suum munus, ybicumq; existat, exequitur: in pœnitentibus operando salutem: in fini pijs iudicium,

Sed carnem eam, que figuratè dicitur, id est, panem & vinum etiæ (que metuimus), ac Sacramentali locutione, corpus & sanguis

gūis Christi appellantur, quoniam, ut Cyprianus, August. & Theodoret docent, illa sacra signa rerum à se signatarum nomen propter analogiam accepere) pro ipsa re, id est, pro ipsamē carne & sanguine Domini magnā animi hallucinatione isti confundunt. Quæ quia pluribus persecuti sumus, habentq; penè omnium, quæ sequuntur postea, sōphis matum solutionem, reliquas Osiandrici libelli rationes, iam breuius perstringemus.

Non nos hallucinari, coniunctionem profitendo symbo<sup>m</sup>lorum externorum cum rebus signatis in cœnæ sumptione, ex superioribus liquet. His autem verbis Danaei denudatur fraus & impostura Cinglanorum, qua mundo persuadere conantur, se veram communicationem corporis & sanguinis Christi cum pane & vino cœnæ statuere: & multis quiritantur, iniuriam sibi fieri, quasi veram praesentiam & exhibitionem corporis & sanguinis Christi in cœna negent. Hoc verò clamore improbè ludificari Ecclesiam filij Dei, Danaeus hīc apertè ostendit. Nam panem & vinum cœnæ, absq; vlo scripturæ testimonio, tantum figūrare & metonymicē, corpus & sanguinem Christi appellari, hoc est, significari & figurari absentia: et veritatē cum signis, iuxta scripturā & orthodoxæ Ecclesiæ sententiā coniungētes, hallucinari, magna hallucinatione affirmat. Patres, quos in suam sententiam pertrahere conatur, minimè omnium propter solam analogiam, sed veram quoq; connexionem symboli cum re, iudicasse, signa rerum ab illis signatarum nomen accepisse, manifestum est ex dictis ipsorum supra allatis. Quomodo enim asseuerarent veram & realem sumptionem corporis & sanguinis Christi, nisi hæc signa simul exhibere res ipsas sentirent? Theodoretus in 1. ad Corin<sup>tios</sup> ii. scribit: Christus nō solum vnde cim apostolis, sed & Iudeæ proditori pretiosum corpus & sanguinem impertit.

70 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

Subiicit igitur Osiander, ut dissidium hoc nostrum cum suis esse imp-  
placabile, neue ullam pacis & Concordiae inter nos & suos in-  
eundae relitam rationem quisquam existimet, subiicit, inquam,  
ista: Qui dicunt corpus Christi tanto locorum interuallo à cœna  
Domini ab esse, quantum summum cœlum à terra distat, idem  
nobiscum non sentiunt. Hoc vero Caluinus, hoc Beza dicunt.  
Ergo nobiscum in re non sentiunt. Respondeo, hoc quidem &  
dixisse & sensisse antea pia memoria virum Ioan. Caluinum, &  
id sentire nunc quoq. Bezam, nimirum, ipsum Christi corpus à  
signis ipsis praesentiae corporalis modo & situ tam procul abesse,  
quam distat cœlum à terra: Addo vero hoc idem docuisse & pios  
ac orthodoxos Patres, velut Augustinum, Cyrillum, Theodore-  
num, Vigilium, & alios quamplurimos, quemadmodum in Pos-  
siaceno colloquio ab eodem Beza feliciter acto, luculenter &  
demonstratum. Ergo vobiscum sancti illi & orthodoxi patres  
non faciunt, sed nobiscum.

Bellum hoc Sacramentarium, vos in Ecclesia Christi  
magna temeritate excitastis: ut omnis concordiae & pacis  
per vos sublata sit spes, donec errore agnito, suam tranqui-  
litatem Ecclesiae reddatis. Quæ enim concordia speranda,  
vobis in gregem Domini sacrilegè vestra doctrinâ, grassari  
non cessantibus? Nisi forte te consultore, statio nobis defes-  
renda, & impie prodenda sit veritas. At pro Christo & veri-  
tate belligerare satius esse nouimus, quam cum falsis fratri-  
bus concordiam fucatam inire. Ad argumentum deinde  
Osiandri per distinctionem respondes, quæ eiusmodi est,  
ut propositum nobis integrum & invictum maneat, de re-  
bus nimirum non verbis inter nos & Cinglianos certamen  
esse. Concedis enim cum Caluino & Beza, ipsum Christi  
corpus, quoad substantiam, tam procul abesse a signis coenæ  
quam distat cœlum à terra. Hoc quia nostri cum verbis  
Christi

*Osiandri, contra Lamb. Danæum.* 71

Christi aperte pugnare demonstrant; non de verbis, sed ipse substantia cœnæ litigium esse, euidentis est. Orthodoxos insuper Patres atrocí iniuria afficis, quod eis opinionem tuam affingere audes, cui ipsi voce vnanimi reclamant, asseuerantes, Sacramentum cœnæ duobus constare, visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine: & hoc in primitiva Ecclesia qui negarunt, ab orthodoxis pro hæreticis habitu & proclamati sunt, ut Theodoretus in Dialogo 3. dictum Ignatij Episcopi Antiocheni allegat, qui sui temporis hæreticos his verbis describit: *Eucharistias & oblationes non admittunt. Quod non confiteantur Eucharistiam esse carnem Salvatoris nostri Iesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam pater sua benignitate suscitavit.* Cyrillus lib. 10. in Ioannem cap. 13. ait: *Non tamen negamus recta nos fide charitateq; sincera Christo spiritualiter coniungi: sed nullam nobis coniunctionis rationem secundum carnem cum illo esse, id profecto pernegamus, idq; à diuinis scripturis omnino alienum dicimus.* Et paulo post: *An fortassis putas ignoramus nobis mysticæ benedictionis virtutem esse? Quæ cum in nobis fiat,* NON NEE CORPORALITER QVO-  
QUE FACIT COMMUNICATIONE  
CARNIS CHRISTI, CHRISTVM  
IN NOBIS HABITARE? Vbi notandum, Cyrillum distinguere inter spiritualem coniunctionem nostrum cum Christo, quæ fide describitur: & coniunctionem carnalem, siue substantialem, quæ in cœna fit. Chrysostomus in prima ad Corinth. cap. 24. exponens illud: calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sans guinis Christi est: in hæc verba scribit: *Eorum autem huiusmodi est sententia: hoc quod est in calice, illud est quod à latere fluxit, & illius sumus participes.* Hilarius de Trinitate lib. 8.. Si

verè

72 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

verè verbū caro factū est, & nos verè verbū carnem cibo Dominice sumimus: quomodo nō naturaliter manere in nobis existimādus est, qui et naturā carnis nostræ iam inseparabilē, sibi homo natus assumit, & naturā carnis sue, ad naturā ēternitatis sub Sacramento, nobis cōmunicande carnis admiscuit? Pari modo reliqui quoq; orthodoxi Patres nobiscū contra vos faciunt. A vobis autem si quæ contra nos ex Patribus antiquoribus afferūtur, illa vel mutilata, vel in alienum à mente ipsorum sensum detorta sunt. Hic enim perpetuus ipsorum consensus est, non tantum elementa panis & vini: sed cum illis, ipsum quoq; corpus & sanguinem Christi in Coena distribui: & de horum substanciali præsentia ita nonnunquam loquuntur, vt ele- mentorum substanciali cum Pontificijs omnino tollere, cuiquam videri possint.

Sed in hac nostra nostrorumq; sententia recitanda, manifesta Osianderi calumnia hæc primum apparet, quod perinde nos accuset, quasi dicamus, corpus & sanguinem Christi à cœna ipsa, & non à signis duntaxat abesse eo, quod commemoravit, spacio. Quod falsum est. Deinde his verbis non omnem ipsius Christi carnis & sanguinis præsentiam secludimus, sed eam tantum, quæ ab Ubiquitariis statuitur, nempe corporalē, quam appellant, id est, quæ corporalis præsentie modo fit, quoniam ista coniunctio, & hic præsentie modus, localem corporis Christi situm in his ter- ris necessariò proper corporis veritatem requirit: & idcirco aut eius detractionem de cœlo, aut diffusionem, ac dilatationem eius in immensum: aut unius & eiusdem Christi corporis multipli- cationem inducit, quorum nihil est non horribiliter blasphemum.

Cum Osiander non tantum tuorum sententiam, sed ipsa quoq; verba absq; illa additione vel detractione reci- tarit, quomodo obsecro calumniari illa potuit: Sed primum te hic

te hic mirificè ludere & nugari de cœna & signis, apparet,  
 quasi inter se separata sint loco, ut quidem corpus & sanguis  
 Christi, cœnæ Dominicae ad sint, / forte in vestro fictitio cœs  
 lo signis vero in terris minimè. Sed cur inaudita mysteria  
 hæc Ecclesiæ non explicas, quomodo nimirum corpus &  
 sanguis Christi à signis duntaxat, & non etiam ab ipsa cœs  
 na, absint? Deinde non de ἐνοχῇ vel ὁμοίᾳ corporis & san-  
 guinis Christi disputatio est: sed de substantia eorum: hanc  
 vos remotissimè in cœlum ablegatis, id è opinionem yes-  
 stram à nostra orthodoxa sententia tantum distare affir-  
 manus, quantum cœlum à terra. Hanc ipsius substantiæ  
 præsentiam tu improbe calumniaris & deformas, quasi ea  
 sit, quæ corporalis præsentia modo, id est, crasso, Physico  
 ac locali fiat: quem modum nosti à Luthero, & omnibus  
 nostris, nunquam non reiectum esse. Sed inquis: *Ista coniun-*  
*tio hunc localem corporis Christi situm in his terris, necessaria*  
*propter corporis veritatem requirit: & idcirco aut eius detrac-*  
*nem de cœlo, aut diffusionem, aut dilatationem eius in immensum,*  
*aut unius & eiusdem Christi corporis multiplicationem inducit.*  
 Quam hic Luciani Theologiam audio: putas ne Christo  
 omnipotenti ac omnisapienti alium modum esse non pos-  
 se, verum suum corpus iuxta promissionem in cœna nobis  
 dandi, nisi quem tu ei, velut necessarium, præscribis? An  
 non haec impia & profana asseuerandi temeritas est, ex na-  
 turalibus conditionibus creature, contra creatoris omnis-  
 potentiam concludere? Eiusq[ue] immensam potentiam &  
 sapientiam certis limitibus circumscribere velle, quibus  
 necessario, & non alio modo, agat? An tibi Christiano im-  
 possibile videtur, Deum in proprio corpore supra naturam  
 eius agere posse, qui sua nos carne supra naturam vivificat,  
 & suo nos sanguine à peccatis emundat? Quid enim magis

74 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

supra veritatem corporis humani, quām diuina, hoc est, vis  
uifica virtute præditum esse, quod sua natura *ωοπονια* ins  
diget. Simili modo, fidelium quis impossibile ducit, corpus  
non amplius physicum, sed spirituale & Dei proprium,  
quodque collocatum est ad dextram omnipotentem et omni  
præsentem Dei, nobis præsens esse posse, non situ locali, sed  
modo sessionis ad dextram Dei, quo omnes creature sub  
iectas & præsentissimas habet, absque vlla ratione loci aut  
*διασηματ*. Huius sessionis gratia, Christus secundum  
humanitatem in tam sublime exaltatus est solium, ut alior  
cœlis factus, omnia adimpleat: nec iam descensione de cœ  
lo, vel diffusione, vel dilatatione, vel etiam eiusdem cor  
poris multiplicatione opus ei sit, ut nobis eo ipso præsens  
esse possit. Hæc enim rationis humanæ figmenta sunt, quib  
us Christi maiestatem limitare conaris, ut suo corpore  
nobis præsens esse, sine horum modorum aliquo, nequeat.  
Verum Christo homini, ad dexteram Dei omnipotentem  
& ubique præsentem manenti, omnia extra loci rationem  
subiecta & præsentia sunt. Vnde Cyrillus lib. 12. in Ioan.  
cap. 32. ait: Quatuor orbis partes, ad salutem reductæ, indu  
mentum verbi, id est, carnem eius, imparabiliter inter se  
partitæ sunt. In singulos enim partibiliter transiens Vnige  
nitus, & animam atque corpus eorum per carnem suam san  
ctificans, imparabiliter atque integrè in omnibus est: cum  
vnum vbique sit, nullo modo diuisus.

*Sed vide, Osiander, quid quantumque tibi largiamur. Fatemur enim  
ipsi, carnem Christi Domini cum signis in S. cœna etiam adesse:  
sed ἐνεργητική, καὶ θετική, ac denique, sacramentali & passio  
nali, non autem τοπική aut σφραγική παραστία, ut tu, Selne  
cerus, & tui omnes aperte sentiunt & loquuntur.*

*Vide Danæ, quām Proteo mutabilior sis. Modo,  
inter*

# Osiandri, contra Lamb. Danæum. 75

Interpositis paucis, dixeras, corpus & sanguinem Christi, non quidem à cœna sed signis abesse: iam h̄s adesse fateris ἐνεργήτικον, non autem σωματικόν, id est, substantiali præsentia, (nam τοπικὸν vtricq; improbamus) Vbi non tantum inconsistitia, sed etiam error tuus coarguendus occurrit. Nam Cyrilus (cuius testimonium suprà citauit) lib. 10. in Ioan. cap. 13, non tantum ἐνεργήτικον ζετικόν, sed etiam σωματικόν πρᾶξον αρχοντικὸν οἰνοβικόν carnis Christi in cœna, agnoscit & predicit. Quare nihil cum tuis largiris nobis, sed potius preciosissimo corporis & sanguinis Christi thesauro spolia re nos conaris.

Quamobrem non erant ita præuaricatoriè interpolanda, vel mali-  
tiosa recitanda nostra sententia verba: sed, quemadmodum à  
nobis, & enunciantur & intelliguntur, exponenda. In quo ta-  
men ipso quid aliud facis, quam quod rancidam illam Papista-  
rum in nos calumniam recoquis, quam antea tam aperte, tamq;  
solidè, & toties repulimus, ut satis absterna videatur.

Tuo more calumniaris Danæ, Osiander enim ne  
quicquam interpolauit vel immutauit in vestra sententia:  
sed nude & simpliciter profanas voces tuorum recitauit:  
quæ etiam cum tua expositione posita, singularem auda-  
ciam spirant. Christum enim mendacij arguunt, qui non  
tantum ἐνεργεῖ, sed ipsum quoq; corpus suum, quod pro  
nobis tradidit, in cœna promisit. Et hæc nullo modo calu-  
mnia, sed ipsa veritas est, verumq; dicunt, quicunq; vos cri-  
minis eius, quod corpus Christi in cœlum remotissimum  
ablegetis, accusent: quam etiam iustissimam accusationem  
depellere nunquam poteritis, nisi turpitudine vestra agnita,  
ad pedes maiestatis Christi vos prouoluatis, eumq; huma-  
nitate quoq; sua Ecclesiæ & cœnæ suæ præsentem esse, fas  
teamini.

## 76 Responso pro Antisturmio D.D.

Deniq<sup>ue</sup> negamus, etiam quum ita loquimur, ex nostris illis verbis colligi posse, nos in re ipsa Sacramenti dissentire à Luthero, aut ab ijs, qui sentiunt, ipsam carnem Christi nobis ex fide sumentibus in S. cœna dari ac communicari. Id quod in quæstione veratur, & tibi aduersus Sturmum probandum fuit. Nam ad huiusmodi communicationem neq<sup>ue</sup> præsentia localis, corporalis ue ipsius carnis Christi situs necessarius es, neq<sup>ue</sup> nostrorum corporum, cum corpore Christi contactus, cum & fiat virtute Spi. S. & merè sit mysticus & spiritualis, & ad spiritualem vitam rotus referatur.

Pro imperio Danæus loquitur, inaniter persuadens sis bi, affirmare & negare suum, absq<sup>ue</sup> ratione vlla satisfactus rum nobis. At in re ipsa, hoc est, substantia Sacramenti, dis sentire vos à Luthero, planissimè demonstrauit Osiander, quod tu nullo verbo huc vsq<sup>ue</sup> conuellerè potuisti. Nec de fructu & vslu cœnæ siue beneficijs Christi, quæ fide sumentibus communicantur, quæstio est: (vt tu controversia statum perueriens astute prætendis) sed de ipsa substantia corporis & sanguinis Christi: vtrum hæc quoq<sup>ue</sup> cum Symbolis externis exhibeat. Et ad communicationem huius (quam nostra orthodoxæ Ecclesiæ iuxta planissima Christi verba credunt, confitentur, & propugnant) neq<sup>ue</sup> præsentia localis, vel corporalis carnis Christi situs, neq<sup>ue</sup> nostrorum corporum, cum corpore Christi Physiscus contactus requiriatur, sed præsentia supernaturalis, quæ sit diuina virtute personæ Christi, corporibus & animabus nostris ad immortalitatis statum, plurimum conferens.

Sed ne in reliqua disputatione obruere potius longa oratione Leto rem videamur, exemplo Osiandri, quam aperte, simpliciter, & nude de ipsa doctrinæ nostra veritate dicere, argumenta ipsius omnia

# Osiandri, contra Lamb. Danæum. 77

omni verborum ornatu, tanquam fuso, & pigmento detracio,  
proponemus & confutabimus.

Vt quouis modo Osiandri scriptum contemptum redes  
deres, nunc ei per calumniam fucum & pigmentum tri-  
buis, à quo omnes æqui lectores alienissimum illud esse  
agnoscunt, cum magis aper'e & nude rationes suas propos-  
nere vix potuerit: & quidem minorem seu hypothesin sim-  
plicibus verbis ponendo, sermonis perspicuitate te longè su-  
perauerit. Sed videamus, quām nihil in Osiandri argumen-  
to confutando, præstiteris.

Respondeo (ais) bona verba Osiander. Neq; enim hæc de cœna ipsa  
Sacratissima Christi quipiam nostrum dixit: sed de horribili  
illo & tam funesto roti Christiano orbi Vbiquitatis monstro  
duntaxat diximus, & de ijs, qui illud pertinaciter inuehere vo-  
lunt. Excrementum autem Sathanæ Beza non de nostra con-  
trouersia, sed de abominando Missæ sacrificio usurpauit, quem-  
admodum ex ipsis scriptis appetet.

Vt absq; ratione vel etiam verisimili, te quiduis affir-  
mare, non pudet: ita quoq; omnibus notissima negare non  
erubescis. Quis enim omnium ignorat, has ignominiosas  
voces piam confessionem nostram de communicatione  
ipsius corporis & sanguinis Christi, respicere: hasq; a ve-  
stris usurpatas esse, antequam doctrina de omnipræsentia  
totius Christi tanto furore à vobis impugnaretur? Et Beza,  
tuo Sturmio teste, non Vbiquitatis dogma, sed manduca-  
tionem oralem, & indignorum (quarum vtracq; firmissimo  
scripturæ fundamento nititur) duobus pilis caudæ equinæ  
confert. Quæ san'e bella comparatio est, impuro Theologo  
digna, sacratissimam Domini cœnam caudæ equinæ con-  
ferre: & duplice istam manductionem, duobus pilis ele-  
gantiam eius obscurantibus. Verūm Vbiquitatis doctrinæ

78 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

nati, non modo à nostris inuestigata, sed pia antiquitati nostra  
tam fuisse: & impie abs te traduci, monstri funesti & horribili  
nomine (cum omnis consolationis plenissima sit) ex  
Cyrillo & Theophylacto dilucidè ostendit Osiander. Ambo enim isti sanctissimi Patres docent: Christum integrè  
nullo modo diutissim, ubiq & in omnibus existere, no  
stramq animam & corpus per carnem suam sanctificare.  
Hæc non nisi monstroso & vesano horribilia & funesta  
videri possunt. Quid vero manifestius, quam Bezan do  
ctrinam nostrorum de coena Domini & omnipræsentia  
Christi hominis excrementum Sathanæ impuro & Sathanæ  
nico ore appellasse? ut procul dubio etiam tui sodalitij  
homines mentiendi industriam in te mirentur, vel potius  
pudore tacito tui causa suffundantur, cum verba clarissima  
70. Epistolæ Beziane tibi contradicere perspicunt. Non n.  
de Missæ sacrificio hanc vocem impurā usurpare Bezan,  
(quemadmodum tu eam excusare studes) hæc, præter alia  
istius Epistolæ verba, manifeste declarant, ubi scribit:  
Summa vero Christianitas est, eos detrudere ad inferos, & in eos  
tū viuos tū mortuos debacchari, qui corpus Christi realiter in pane  
& eiusdem sanguinem in Cantharo includere recusarint. Et hoc ho  
minum monstra diutius feret Germania? Nam hæc quidem una  
istis nunc delitijs fruitur, adeo etiam audie, ut pro Papistici cleri  
tyrannide, qui tamen aliquam saltem antiquitatis & digni  
tatis speciem habuit, istorum indignissimorum hominum iu  
gum ultrò subire non recusat: quorum dogma tam sanè est absurdum, ineptum, avosatop, ut vere possim illud vocare Sathanæ ex  
crementum, quo ipsis etiam iuratissimis suis hominibus, atq, adeo  
exhibimet ipsi quodammodo illudat. Quis quæso hæc de Missæ sac  
rifício dicta putabit: sed, opinor, te huius Bezianæ turpi  
tudinis pudet, quod eam fictione hac contegere studes.

Quod

# Osiandri, contra Lamb. Danæum. 79

Quod verò quāpiam hærefis aduersus sanctissimam Christi doctrinam grauior est, & tertiior: eò grauiori quoq; vocabulo est de-notanda. Sic Patres sui temporis errores vocant pàssim, (vt ex Tertulliani, Epiphanij, aliorumq; scriptis apparet) & merito quidem, Aspidis semen, Lepram, Scorpionem, Draconem, Eru-cam, Zizania, Venenum, & ceteris similibus vocabulis, qui-bus horrorem pìjs incuriant, ab eaq; abstineant.

Si verbis hisce confessionem nostram (vt videris) tacitè hæreseos insimulas, miror, qua fronte contendere ausis, inter vos & nostros de verbis potius, quām rebus, dissidium esse. De hæresi quidem verè ista dicuntur: sed vos ipsam Christi doctrinam hisce contumeliosis vocabulis insectas mini, hæcç conuitia in nostros euomitis, quia verbis Christi perspicuis fidem habendam esse iudicant.

Sed & vos ipse in Synodo Torgensi aperte Vbiquitatem damnatis, & nobiscum facitis, vt iam mirer, te propterea optimo illi Stur-mio tam grauiter succensere, quòd eam pìjs, ac Orthodoxis omnibus odiosam (quod tu per omnes casus Vbiquitatem declinare scurriliter vocas) reddiderit, at infinita eius βλάσφημα do-cissime detexerit.

Ad Synodum Torgensem quod attinet, iustissimas il- la & plures ob causas ab Orthodoxis Theologis reprehensa est: in qua synceris & bonis multi falsi Doctores, non pauci etiam veritatis ignari, admixti fuere: vt nobis in hoc articulo nihil præscribere possit. Deinde dubium non est, quin aliquot pìj & docti ministri, qui Synodo isti interfuerunt, non omnem omnipræsentiam carnis Christi damnâ- rint, sed tantum crassam & ridiculâ istam, qua corpus Christi per totum uniuersum secundum quantitatis modum extendi, phantasiam concipiunt. Rejeciunt enim omnem ascen-sionem & descensionem corporis Christi de cœlo; manife-stis

80 *Responsio pro Antisturmio D. D.*

stis quoq; verbis damnant phantasticam opinionem Cin-  
gianorum, de corporis Christi in vno ac certo cœli loco  
comprehensione, qua fieri imaginantur, vt simul in celo  
& terra esse non possit. Quis ergo dubitaret, sinceriores  
Synodi istius Theologos omnipræsentiam Christi, quæ v/  
nione personali & sessione ad dextram Dei describitur,  
cum Lutherò secundum scripturam credidisse? Hanc Stur-  
mius nulla ratione infirmare potuit: nec eius vlla βλάσφη-  
μα, cum nulla prorsus sint, detexit: sed a vobis malitiosa con-  
fictam, & nobis fallaciter imputatam Vbiquitatem, in suis  
Antipappis procaciter exagitat.

Ergo ista vocabula (qua tu, tanquam ijs vehementer gaudeas, se-  
piissimè ac inuidiosissimè repetis) non ipsam sacrosanctam Do-  
mini cœnam attingunt: non immensum illud & incomprehen-  
sibile Christi beneficium, quod ille benignissimus nobis in ea lar-  
gicur, feriunt: non gloriosam & verè adorandam à nobis il-  
lam Christi carnem (quia caro est vnigeniti) gloriā etiam an-  
gelis ipsis beatis inenarrabili exornatam spectant: aut vlo pa-  
sto (ita Deus ipse, grauiissimus nominis sui vindex, si nobis in  
extremo illo iudicio testis) tantum, tamq; Augustum cœna my-  
sterium aspergunt: sed teterimum Vbiquitatis dogma perstrin-  
gunt. Non solum enim illa carnalem ipsius carnis Christi man-  
dationem pro spirituali substituit: sed & incarnationem  
Christi, & Ascensionem & sessionem eius ad dexteram Patris, ne  
antè diximus, ac deniq; totam ipsius humana Christi natura  
veritatem, & oīnovopiap, cum Eucyphete, & Monothelitis, &  
Acephalis, semel ac funditus euertit. Et hac quidem ab O-  
siandro in ea disputatione dicta sunt contra Sturmium: ubi  
nostras Ecclesias non posse à Lutheranis damnari, docet Ioan-  
nes Sturmius.

Confutationem tuam nude & simpliciter tuis verbis  
proponam,

proponam, ut omnes intelligent, quām te ridiculum præbeas, in veris instantijs nostrorum arrodendis. Necq; enim, aīs, hæc de cœna ipsa sacratissima Christi quisquam nostrū dixit, sed de horribili illo & tam funesto toti orbī Vbiquitatis monstro. Ergo ista vocabula, non ipsam Sacrosanctam Domini cœnam attingunt, sed tētērīmū Vbiquitatis dogma perstringunt. Cur verò probare istud, Danae, intermittis? Cum ipsa vocabulorum istorum significatio vanitatis te conuincere possit?

Et hæc iniuriosa in nostros vocabula Osiander in toto Antisturmio bis tantum posuit, vt mirer te ei frequentissimam eorum repetitionem obijcere. Sed tacite ostendere videris, tibi tuorum gregalium conuitiandi petulantiam nonnihil displicere. Nihil autem certius, quām istis probris vocibus piam doctrinam nostram de cœna Domini, quæ Christi & Apostolorum verbis superstructa est, petitam esse: vt hunc gnauiter impudentem esse oporteat, qui istud negare ausit. Deinde non sine causa dubitet quis, quo animo carnem Christi verè adorandam dicas, cum omnem maiestatem diuinam, propter quam adoranda creditur, ei cum tuis nefarie detrabas. Vide vt te excusaturus sis tuis, qui Christum vt hominem adorandum esse, hactenus negarunt. Cuius impietatis vestræ, Christus seuerissimus iudex, in extremo iudicio iustissimus vindex erit, quando toti mundo patefiet, mysterium cœnæ, (quod ore fallaci extollitis, & interim eneruare suaq; substantia priuare illud, tentatis) vobis contemptui fuisse: vosq; blasphemō ore, maiestatem Christi odioso Vbiquitatis nomine conspuisse, & defœdasse: cuius doctrina realem & substantialem corporis & sanguinis Christi perceptionem euidenter confimat: nec ullos articulos fidei, aut humanitatis Christi veritatem,

82 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

tatem, euertit: sed illos aptissimè illustrat, & quanta maiestas  
te humana natura Christi perfecta & ornata sit, pīe & di-  
lucide explicat. Ex quibus vñ'a cognoscitur, primum, quo  
spiritu, Danæ, agaris, quod cūm Eutychetis, Monotheita-  
rum & Acephalorum heræeos, nos (falso licet) insimiles:  
tamen probare moliaris, de verbis, non rebus contentio-  
nem esse: deinde, iustissimè damnari à nostris Ecclesijs Cin-  
gianum dogma, vt pote Christi & Apostolorum verbis, in  
rebus grauiissimis manifeste contradicens.

*Docuit vero secundo loco, etiam si damnanda essent, ab ipsis tamen  
damnari minimè debuisse. Ad quam disputationis partem,  
quemadmodum idem etiam Ofiander respondeat, ecce vide-  
mus.*

Secundum hoc primæ partis Antiosiandri membrum  
est, Orthodoxos non debere damnare Cingianos. De Ec-  
clesijs responsum supr'a est, quod à nostris non totæ damnē-  
tur: sed primit̄ errores, qui in illis plantantur, deinde quo-  
què omnes falsos, erroris conuictos, & obstinatos doctores,  
ac etiam defensores impiæ doctrinæ de coena Domini, &  
maiestate Christi hominis, putari. His vt Sturmius & Da-  
neus contra damnatoriam nostrorum sententiam suppos-  
tias ferat, audiāmus.

*Iniquum est, ait Sturmius, vt plures Ecclesiæ à paucioribus: pīe  
& orthodoxæ ab ijs, quæ noua dogmata inuehunt: doctores viri  
ab indoctioribus hominibus damnentur: quod tamen Vbi qui-  
tarij in illo suo Nouo Nouæ doctrinæ corpore, nullo pudore fa-  
ciant.*

Principio videoꝝ hīc mihi pertinacium & rebellium  
Isaelitarum contra Prophetas, Iudæorum deinde & gen-  
tium contra Apostolos, audire conclusionem: Quod vides  
licet iniquissimum sit, innumeram multitudinem populi  
Deo.

Dei (de Iudæis loquor) à paucis quibusdam male sanis ho-  
minibus: pios & orthodoxos, qui legem & testimonium  
ab ipso Deo acceperint, ab ihs qui noua dogmata contra  
legem & traditiones inferant: doctiores, in omni lege in-  
stitutos, ab indoctioribus, illiteratis, ac idiotis damnari.  
Idem supercilium plane hodie Calvinistatum est, quod  
olim Iudæorum, & nostro seculo Pontificiorum: (qui eos  
dem argumento stramineo, quod telum robustissimum  
Danæo videtur, contra nos tro vsi sunt) ut subinde multis  
tudinem Ecclesiarum, dogma Zwinglianum ample-  
ctentium crepant: hac ipsos cum Iudæis, Mahometanis, &  
Pontificijs, nos longe superare, si maxime concedamus:  
num idcirco quia illi multò plures sunt, iniquum erit ipsos  
à nostris damnari? Pios deinde & orthodoxos à nouatoris-  
bus damnari, iniustum esse, & contrarium fieri oportere,  
censemus. Vos autem noua dogmata de coena Domini,  
personâ Christi, & alijs articulis, in Ecclesiam inuexisse, co-  
piose & dilucide ex scriptura à nostris demonstratum est.  
Quapropter non iniuriâ damnamini. Adhac, quis vos do-  
ctiores nostris non putaret? Cum etiam sapientiam Dei (cui  
nostrî humiliâ se submittunt, & omnia ipsius dicta in pia  
simplicitate acceptant & credunt) in negotio coenæ, & alijs  
articulis iustificare, eiusq; verba ad vestram rationem, con-  
tra proprium ipsorum sensum, conformare audeatis: Tan-  
tum doctrinam sibi nostri non vendicant: sed cum scriptu-  
râ S. paruulos tantum, doctos esse iudicat, qui verbis Dei fi-  
dem habere, nec operum eius rationem inquirere, quomo-  
do hoc vel illud fieri possit, didicerunt: & gloriam Deo tri-  
buentes, certam persuasionem cum Abrahamo, Patre fide-  
lium, conceperunt, quod quicquid promiserit Christus,  
potens sit etiam præstare. De hac doctrina, quæ vobis sapi-  
entissimis

## 84 Responso pro Antisturmio D.D.

entissimis scilicet stultitia est, nos solum gloriamur: in qua etiam cum Abraham, & omnibus ipsius filiis vere fidelibus, palmam feremus.

Huic robustissimo in suos vibrato telo, quid opponit Osiander?

Plures quidem in speciem solutiones: sed re ipsa καθοφύγεται τὰ τύμπανα φρεγάνα, quibus elabantur, non purgantur isti. Nam facetur quidem ipse, esse inhumanum, totas Ecclesias damnare. Primum igitur respondet Osiander: Errantium multitudinem nullum errori patrocinium afferre.

Quām nullius momenti & roboris argumentum Sturmianum sit, modo ostensum est: cui etiam Osiander nulla ratione, nedum pluribus se opposuit, sed argumentis suis istud euicit, quod aliquo errore damnato, non simul damnentur omnes Ecclesiae istae, in quibus error ille per falsos Doctores sparsus est. Et ad hoc institutum suum obtinendum, non hac ratione usus est, errantium multitudinem nullum errori patrocinium afferre: sed cū nobis Sturmius plurimas Ecclesias commemoret, quæ Caluinismum profiteantur: & ex hac multitudine, non parvum praesidij Cinglano dogmati accedere confidat: Osiander respondet, quod si etiam res ita se habeat, ut omnes Ecclesiae istae Caluinismum approbent: hanc tamen errantium multitudinem errori non parere patrocinium. Ad hoc quid tu viciſſim:

Hoc (ais) Osiander tibi concedimus, ubi de erroribus, vel per se manifestissimis vel legitima praeunte cognitione damnatis agitur. Sed de hoc ipso totum inter nos certamen est, utri errent, tu ne, an nostri. Nam dum nos errare presumis, tu tibi, id est, ex nondum victo hoste, temere victoriam & triumphum casis. Certes si qui Christum veram naturam humanam assumpsisse: & semel assumptionem in caelos secum intrulisse, & adhuc in eis regis re-

lis retinere ex Dei verbo docent, non errant: non erramus. Sed si j. qui articulos fidei præcipuos euertunt, ( dico & Incarnationem, & Ascensionem, & Sessionem Christi ) errant: Vos erratis. Si qui inaudita pia & Orthodoxæ vetustati dogmata in Ecclesiam inuehunc, errant: vos Vbiquitarij erratis. Ergo quod nos errare præsumis, id de te tuisq; Osiander, senti, & recte sensis, &c.

Errorum manifestissimorum ut ex manifestissimis scriptis verbis, multis iam annis, præeunte legitima cognitio ne multorum præstantium Theologorum, conuicti & damnati estis. Non enim ad Orthodoxiam satis est docere, Christum veram humanam naturam assumpsisse; semel assumptam in cœlos intulisse, & adhuc in cœlis retinere: (quod tamen scriptura nusquam dicit, corpus Christi in celo ita retineri, ut ante nouissimum diem in terris non sit) nisi simul cum scriptura confitearis, Christum secundum hanc etiam naturam, omnia posse: omnia scire: nec tantum Matth. vlii<sup>o</sup>  
in cœlis hærere, sed ipsis altiorem factum, & ad dexteram Ioh. 16.  
Dei sedentem, omnia implere, surèq; Ecclesiæ in terris, iuxta Col. 2.  
ta promissionem, præsentem, suo nos corpore & sanguine  
in coena ad immortalitatem pascere. Hæc autem singula  
cum vos negetis: nec Christi verbis, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, fidem habeatis: insuper quoq;  
fidei articulos de Incarnatione, Ascensione, & Sessione  
Christi, vestro glossemate perueratis, & detestanda dogma ta de Sacramentis, & Christi persona, contra scripturæ &  
Orthodoxæ Ecclesiæ sententiam ( quæ omnia ad oculum  
vobis a nostris demonstrata sunt ) inuehatis: quis vos errare, & iuste a nostris damnari, non aestimabit: Magno quis  
dem conatu vicissim hoc agitis, vt nostros multorum errorum nomine infametis; sed à consuetudine omnium secta-

## 86 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

riorum, Orthodoxos omni seculo grauissimorum criminum accusantium, nihil alienum vos patrare, iamdudum calumnijs vestris testatum fecistis. Noltri enim suam doctrinam non ratione & Philosophicis principijs, quemadmodum vos metiuntur: nec etiam contorsionibus & deprauationibus dictorum tam scripturæ quam vetustatis, (quod vobis familiare, & quasi proprium est) sed verbis clarissimis scripturæ, & Orthodoxæ Ecclesiæ sententijs ilam confirmant & roborant, vestramq; iisdem velut fortissimo ariete concutiunt ac euertunt.

*Deinde vero respondes, dum errores, quos vocas, nostrarum Ecclesiarum damnatis, nequaquam tamen nostras quoq; Ecclesias à vobis condemnari: sed hoc tuum subterfugium, quoniam abundè suprà confutavi, pluribus iam non persequar.*

Hæc Osiandri vñ oþeoris, non autem subterfugium est: quam rationibus munitam, huic Sturmianæ accusationi opponit, *Quod cum errore simul etiam Ecclesias necessario damnamus*. Illam, ut tu confutare pluribus, & Osiandrum de suo præsidio depellere, frustra tentaueris, cum ex superioribus pateat, eorum superuacanea iteratione tedium lectori afferre nolo.

*Ergo de hoc tuo præsidio depulsus, ad tertiam responsonem confugis, & ait, totas Ecclesias nostras non amplecti ista dogmata, quæ vos priuatis iudicijs, atq; sine Synodo legitima anathematizatis: quoniam Dominus inter nos atq; in nostris Ecclesijs, ut tu diuinæ, sibi septem hominum millia reseruauit, qui non curuantur coram Baal, ut loqueris: id est, qui veram & Orthodoxam fidei nostræ confessionem, etiam inter nos ipsos non sequuntur.*

Prima hæc ratio est, qua Osiander suam hypothesin stabiluit, Quod videlicet non necesse sit, totam Ecclesiam, fam

sam doctrinam amplecti, quæ illi à peruersis hominibus  
obtruditur. Hanc rationem verissimam esse, multis confir-  
mari posset: sed nobis sufficiente ista: Quod Dominus sibi  
semper (cum scriptura loquendo) septem millia hominum  
conseruet, qui non sua genua curuerint coram Baal: & quod  
Christus agnitione sui vera, & cultu syncero, iuxta Psalmum 109. etiam in medio inimicorum suorum, præsertim  
eorum, qui discipuli haberi volunt, dominetur: quodque ver-  
bum Domini egrediens de ore ipsius, non reuertatur ad ipse Esa. 55.  
sum vacuum: sed faciat quod velit, & prosperetur in his, ad  
quæ illud misit. Ex his nobis dubium planè nullum est,  
qui in vestris Ecclesijs, multi vestra dogmata perspicuis  
scripturæ verbis aduersantia, ob idque iam dudum legitimè  
secundum scripturam, ab Orthodoxis Ecclesijs anathema-  
tizata, non amplectantur: sed potius verba cœnæ clarissi-  
ma: Hoc est corpus meū: Hic est sanguis meus: & Vbi duo  
vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio  
eorum, simplicitate fidei appræhendant: vestras vero nugas,  
quibus genuinum & proprium illorum sensum deprauare  
studetis, floccifaciant: & gloriam Deo tribuentes firmiter  
credant, quod qui dixit, & cui nullum verbum, secundum  
angelicam vocem, impossibile est, potens sit etiam præsta-  
re. Ad hæc respondes.

In quo primum vide, Osiander, quid dicas, qui nostram doctrinam  
Baal appelles. Quam vero nomen istud Belial melius tibi, tuaque,  
Osiander, doctrinæ quadrare demonstrarem, si retaliare li-  
beat.

Doctrinam vestram Osiander non simpliciter Baal  
appellauit: sed inter eam & cultum Baaliticum compara-  
tionem quasi instituit. Ut enim hic, in populo Israelitico no-  
ab omnibus approbatus fuit, sed multa millia hominum  
à Do-

88 *Responso pro Antisturmio D.D.*

à Domino reserata fuerunt, qui istâ Idololatria se non potest  
luerunt: Ita, vult dicere, nec vestram doctrinam omnia Ecclesiae  
vestræ membra ex corde amplectuntur. Et, quemadmodum Baalitici sacerdotes, suum falsum cultum, quem  
ipsi ex Ethnica & Iudaica religione confilarant, scripturâ  
legis colorare voluerunt: idem vobis hodie quoque studi-  
um est, ut vestram confessionem de cœna Domini & alijs  
capitibus, ad inanem Philosophiam conformatam, scripturâ  
defendere laboreatis. Vestra igitur, non nostra confessio,  
ut quæ rationi humanæ blande aduletur, & solo scripturæ  
pigmento vtatur, nomini Baal non male quadrat.

*Respondeo igitur, merum esse animi tui figmentum, quod exifi-  
mas, vel aliquem ynum in nostris omnibus Ecclesijs reperi-  
qui vestrum de Vbiuitate vel Vbiq[ue] præsentia corporis Christi  
dogma probare & amplecti sustineat. Nemo de nostris Maie-  
staticum illud vestrum corpus adhuc nouit: nemo Ascensionem  
Christi credit esse eius ludicram euangelicam in has inferio-  
res nubes, quod verè est Manicheanum & Marcioniticum: nemo  
verum illud Christi corpus sine loco, sine circumscriptione, sine  
terminis, ijsq[ue] quantitatem ipsius definitientibus cogitat, quoni-  
am id est prorsus ex Dei verbo adivatop, & tamen à vobis  
tanquam Christianæ fidei fundamentum, & possum & affe-  
sum. Quare cum quilibet (ne dum ut septem millia excipias)  
in nostris Ecclesijs nostrum illud dogma, quod damnas, appro-  
bet, & amplectatur: certè dum illud damnas, & universas no-  
stras Ecclesias, & singulos pios, qui nostram doctrinam ampe-  
luntur, iam, vel rei po teste, aperte condemnas.*

*Non agitur hic Danæe, de imaginaria vestra ubique  
præsentia corporis Christi: nec etiam de eiusdem euane-  
scientia in has inferiores nubes: (quæ duo impudenti cas-  
lumnia nostris obiectas, cum à nemine nostrum unquam  
probav-*

probata vel agnita sint ) sed de genuina & propria sententia  
 verborum coenæ , præsentia quoq; Christi hominis in  
 Ecclesia sua , disputatio est , an nimirum aliqui in tot Ecclesias  
 vestris , verbis Christi dilucidis : *Hoc est corpus meum,*  
*quod pro vobis traditur : Hic est sanguis meus , qui pro multis*  
*effunditur : Et : Ecce ego ( Christus homo , cui data est omnis po-*  
*testas in celo & in terra ) vobis sum omnibus diebus , usque ad*  
*consummationem seculi , Item : Vbi duo vel tres congregati sunt*  
*in nomine meo , ibi sum in medio eorum . An , inquam , aliqui his*  
*verbis , quæ sensui & rationi repugnant , firma & sim-*  
*plici fide adhærent , & vestras peruersiones nihil faciant ?*  
 Hic tu ceu omnium Cardiognostes , ne *V N V M* quidem  
 esse in omnibus Ecclesijs vestris asseueras . Quis autem au-  
 daciam hanc affirmandi in te non rideat : Ego vero potius  
 Spiritus sancti verbis accedo , quæ *Esaiae* 55. cap. confir-  
 mant nobis : *Quod verbum ex ore Domini egrediens prospere-*  
*tur , nec vacuum ad ipsum reuertatur . Verbum autem Domini*  
*de præsentia corporis & sanguinis sui in coena , dilucidum ,*  
*clarum , & perspicuum est : vt dubium non sit , quin multi*  
*contra rationis sensum ei consentiant , præsertim simpli-*  
*ciores de quibus Christus inquit : Gratias ago tibi pater , quod* Matth. 11.  
*abscondoris hæc à sapientibus & intelligentibus ( in quorum nu-*  
*merum Doctores tuos suprà censiisti ) & reuelaris ea infantibus :*  
 Quales procul dubio in Ecclesijs , quas commemoras , non  
 pauci erunt , qui Dei mysteria non anxiè scrutantur , sed  
 simplici fide , infantes veluti , ( ex quorum ore laus Do-  
 mino perficitur , propter inimicos eius , quibus simplicis  
 eas fidei stultitia est ) & genuini discipuli Christi , qui in  
 eius sermone permanent , ut veritatem cognoscant , con- *Ioh. 8.*  
 tenti sunt . Quot insuper putas in Anglia , Gallia , Belgio ,

90 *Responso pro Antisturmio D.D.*

Polonia, Transyluania, & alijs Regionibus, Germanos  
versari, qui odio Papatus, se vestris Ecclesijs coniungant;  
nec tamen hæc vestra erronea dogmata amplectantur: de  
hisque non ratio cum vestris concertent, eisque manifestis scri-  
pturæ verbis scrupulum iniijcant? Quæ certè verba non  
semper suo fine frustrantur. Adhæc, multi boni & veritas-  
tis studiosi, nostrorum scripta euoluunt: in quibus eviden-  
tiâ scripturæ conuicti, huic ( vt fallere quæ nescit ) insistere  
malunt, qu'ām vestris incertis, & de ingenio vestro confia-  
etis rationibus, suam fidem & salutem credere: Et tamen  
tu profiteri audes, ne *VNVN* quidem esse in omnibus Ec-  
clesijs vestris, qui nostram confessionem ( quam nunc Vbi-  
quitatis, nunc maiestatici corporis, odiosis vocabulis defor-  
mare & contemptam reddere studes ) probet? Denique vix  
aliud profanum & impium magis, qu'ām hominem miseli-  
lum, cuius ratio, ne quidem ea, quæ ante & prope nos  
sunt, perfecte cognoscit: tamen corpus Dei, quod supra  
omnem creaturam, ad dexteram Dei exaltatum est, & cu-  
ius maiestas omne nomen, imò omnem cogitationem ex-  
cedit, quam etiam oculus non vidit, auris non audiuit, & in-  
cor hominis non ascendit: regulis mathematicis & physi-  
cis metiri, & de eius circumscriptione, loco, & terminis  
quantitatem finientibus, audacissime differere velle, & dis-  
cere ἀδύνατο, vt corpus Christi verum sine loco sit. At  
veri Christiani cogitant & norunt, vt Christus secundum  
humanam naturam spiritum sine mensura, potentiam sine  
mensura, scientiam sine mensura, accepit: simili ratione,  
quatenus supra omnes creature exaltatus, & omnia ipsius  
pedibus subiecta sunt: quatenus etiam supra omnes cœlos  
ad dexteram Dei ascendit, vt omnia ( non physico modo,  
sed

Ioh. 3.

Math. vlt.

Colof. 2.

## Osiandri, contra Lamb. Danæum. 91

sed diuino) impleret : præsentiam eius loco circumscribi & mensurari nulla ratione posse : sed ipsum in dextera Dei sine loco adiutor; omnibus præsentissimum esse. Quæ cum ex scriptura certissima sint, quis dubitabit, Deum vbius locorum, huius veritatis suæ cultores habere? nec omnes vestrum dogma, de absentia Christi hominis ab Ecclesia sua, amplecti? Ideoque etiam non totas Ecclesias vestras, eadem, qua errores, censura damnamus.

Sed quia iam personas ipsas damnare manifestè à nobis conuinciris, quarto loco distinguis inter ouiculas & pastores. Hos enim solum, à vestris damnari; illas autem non item, concedis.

Secunda hæc ratio est, qua suum propositum Osiander tuerit. Nec tu velut contradicentem conuicisti, personas cum erroribus a nostris damnari. Nam idem hoc, ipse confessit & voluit semper : verùm hac distinctione adhibita, falsos, conuictos, & monitos Doctores, etiam pertinaces defensores errorum, non item ouiculas, damnandos esse. Ingens namque discriumen est inter lupum, Doctorem falsum, in gregem Domini grassantem: & inter ouiculam, quæ propter iudicij imbecillitatem non recte de omnibus articulis controversis iudicare potest. Ut enim lupus nunquam sit ouis: ita rarissimè contingit, falsos & pertinaces Doctores conuerti, homines nimirum circa fidem reprobos, mente corruptos, & veritati resistentes. At oues perditas Dominus præconio verbi sui, siue syncero siue per occasionem querit, reducit, saluat: & quas vult præseruat, ne vocem alieni audiant, sed vocem pastoris sequantur: & quæ alienum secutæ iam sunt, has nisi contumaciter

## 92 Responso pro Antisturmio D. D.

in errore perseverare velint, misericordia sua dignari, & ignorantias sive errores, pro quorum remissione, ut & aliorum delictorum, precantur, eis condonare potest: si tamen fundamentum, quod Christus est, non deserant.

L.Culpa  
Cod. de  
Mathe-  
mat.

<sup>8</sup>  
August de  
vtilitate  
credend.  
Cap. I.

Quasi vero te, vel Iurisconsulti ipsi docere non potuerint, similem culpam esse in ouiculis prohibita discere, & in pastore prohibita docere: quasi etiam à Domino nostro Iesu Christo disertis verbis non damnentur ij, qui dūces cæcos cæci ipsi seellantur. Itaq; vtriq; & pastores, & oues dammandi, plectendiq; etiam iusto Dei ipsis iudicio sunt, quum errores sequuntur, quamquam tamen fortasse non pari pœna supplicij & grauitate vtriq; puniuntur. Fateor equidem discrimen esse, quemadmodum etiam docet Augustinus, inter haereticum ipsum obstinatum, & eum, qui quadam animi simplicitate, & bona de sui pastoris existimatione, sine pertinacia tamen, illius errorem, tanquam veram doctrinam amplectitur: sed tamen non vt hic ipse prorsus excusat, non vt si perseveret, non damnetur: non vt eadem sententia, qua doctrina ipsa ( quam sequitur ) damnata est, ipse quoq; non damnetur.

Otentat Danæus hic Iuris scientiam: quām vero ap̄te, videamus. Dicit lex, similem culpam esse tām prohibita dissentium quām docentium: quæ videlicet omnibus nota sunt, prohibita & illicita esse. Titulus enim est, de maleficiis, Mathematicis, & cæteris similibus profanis artibus, qualis est magia, aruspicina, ars ariolandi & diuinandi. Et sequitur lex: Nemo aruspicem consulat, aut Mathematicum. Et: Si quis magus, vel magicis certaminibus assuetus, qui maleficus vulgi consuetudine nuncupatur, aut aruspex, aut ariolus, aut certè augur, vel & Mathematicus, aut narrandis somnijs occultam artem aliquam diuinandi,

aut

aut certè aliquid horum simile exercens, in comitatu meo & Cæsaris  
deprehensus fuerit, præsidio dignitatis exutus, & cruciatus &  
tormenta non fugiat. Et subiçitur: Culpa similis est tām pro-  
hibit a discere, quām docere. Hanc legem ciuilem aduersum  
illicias artes (quas prohibitas esse, discentes singulatim  
nōrunt) latam, Danæus in forum Theologicum, vbi ras-  
tio longe diuersissima est, præpostere transfert. Non enim  
de ihs hīc quæſtio est, qui scientes & volentes prohibita di-  
ſcunt: sed de ouiculis, imbecillitate iudicij in religionis con-  
trouersijs errantibus, & quæ rectius edoctæ, alieni vocem  
contemnunt, & Christum pastorem sequuntur. Harum  
cum pastoribus, qui de errore moniti & conuicti, eundem  
tamen obstinate defendunt, & propagant, eandem siue  
similem culpam esse, nunquam rationibus veris euincere.  
Si vero & in illis repertæ fuerint, quæ harum controuer-  
ſiarum scientes, Christi pastoris vocem (quæ clara & per-  
spicua in verbo ipsius sonat) & admonitiones, vt spiritus  
probent, & sibi à Pseudopropheticis caueant, in erroribus  
perseuerando, contemnunt & negligunt: hæ iusto iudicio  
cum duce cæco in foueam, iuxta Christi sententiam, præ-  
cipitantur, & simul cum pastore oves puniuntur. Verum  
& hīc tenendum discrimen est, quo plurimum errores in-  
ter se distant. Quidam enim fundamentum salutis nostræ,  
quod Christus est, manifeste euertunt, quales sunt Marcio-  
nismus, Arianismus, Nestorianismus, Eutychianismus.  
His immorientes, tām auditores quām doctores damnari  
arbitramur, licet non pari supplicij gradu. Et hīc illa lo-  
cum habent, quæ secundum Augustinum de doctrina hæ-  
retici, & ab ipso seducti, commemoratas. Alij vero teſtē mo-  
liuntur istud, dum varijs integrumentis ingeniosè excogit-  
atis falsam doctrinam occultant, ijsq; incautis & impru-  
denti-

94 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

dentibus auditoribus imponunt. Tali intuolucro verbos  
rum & vos Nestorianum dogma fouetis & propagatis,  
eoque arctissimam & intimam, nulloque loco separabilem  
duarum naturarum in Christo vniōnem, realem quoque com  
municationem proprietatum & operationum, & veram  
sēsionem ad dexterā Maiestatis re ipsa negatis, simulque of  
ficiū & meritum Christi, summi sacerdotis & Regis no  
stri, eneruatis. Hæc vobis doctoribus ex scriptura & anti  
quitate ob oculos pinguntur : sed ijs rejectis, in vestris  
erroribus propugnandis infœlici peruvicacia persistitis, ideo  
Apostoli verbis anathema vobis nostri dixerunt. Auditio  
res vero vestros damnare nolunt, qui nulla pertinacia, sed  
simplicitate, verius non instituti, errant, & de his articulis  
iudicij imbecillitate recte iudicare non possunt : hos, si fide  
(vt vocant) implicita, quali plarunque vulgus præditum est,  
merito Christi θεαυθόπτω & vnici mediatoris nitantur, &  
condonationem errorum etiam occultorum à Deo petant,  
saluari, benè speramus.

*In nostris Ecclesijs ques gregesque nostri etiam quantò diligentius  
vestros libros perlegerunt, vestramque doctrinam de Ubiquita  
te cognouerunt, in sua sententia tanto magis perseverant & con  
firmantur. Nec id quidem temerè, sed προστοπέσαι, certissimō  
animi sui iudicio, quia nostra doctrina Dei verbo congruit.  
Nam hoc ipsum doctrinæ, de qua nunc inter nos agitur, caput  
huiusmodi es, ut à nemine verè Christiano, ignorari certè de  
beat vel posse. Præterea vestrae vociferationes tam turbulen  
tæ, & clamores tribunitij ubique obstreperi, & sparsi effecerunt,  
ut vestrae sententiae absurditas ne à Papistis quidem ipsis ho  
die ignoretur. Causa itaque nulla es, Osiander, (quando pa  
stores nostrarum Ecclesiarum apertè condemnas) cur oniculas  
gregesque nostros excipias.*

Quod

Quod Paulus de se & omnię oīo suis dixit: *Christi bona 2. Cor. 2.*  
fragrantia sumus Deo, in his qui salvi fiunt, & in his qui pereunt:  
his quidem odor mortis ad mortem: illis verò odor vitæ ad vitam:  
hoc quoq; piaë & orthodoxæ doctrinæ nostræ euenit.  
vt vobis doctoribus pertinacibus & veritati manifestæ  
resistentibus, facta sit odor mortis ad mortem, vt quan-  
to diligentius eam cognoscatis, tanto magis in vestris blas-  
phemis confirmemini. Alijs verò facta est odor vitæ.  
Multi enim vestrum quoque, quo diligentius nostrorum  
libros euoluunt, & absq; præiudicio, pio & syncero veri-  
tatis cognoscendæ studio, momenta argumentorum con-  
siderant & ponderant: eò melius erga nos affecti, disce-  
dunt, intelligentes, nos citra scripturam nihil asserere.  
Sed vicissim impudentes vestræ crebræ calumniæ &  
peruersiones, quibus syncerae nostræ confessioni de coena,  
& maiestate Christi, alienissimum sensum, & multa absur-  
da (quod tu in hoc libello strenue præstitisti) affingitis,  
apud multos fortassis, qui nostra non legerunt, efficiunt, vt  
veritate per vos obscurata, in vestra fallissima doctrina, coe-  
cæ rationis iudicio, cui per omnia aptissimè, non autem scri-  
pture congruit, inscienter obfirmentur. Quid enim  
rationi magis consonum, quām Christum secundum hu-  
manitatem, quia in cœlos ascendit, nobis non esse præsen-  
tem? Sed quia Christus secundum naturam assumptam  
ad dextram Dei, vbiq; præsentem, sedet: & qui secundum  
Cyrillum indiuisus est & in omnibus integrè, nobis sui  
corporis & sanguinis præsentiam in terris promisit: ius-  
dicium rationis, in rebus etiam externis non raro fallax,  
in spiritualibus vero cæcum & fallacissimum, captiuans  
tes, Christo veritati, qui fallere non potest, vbiq; & in hoc  
mysterio

## 96 Responso pro Antisturmio D.D.

mysterio Coenæ, & maiestatis Christi, quæ supra omne nomen & cogitationem humanam est, creditus. Et in hoc, de maiestate Christi hominis, capite, non inuidemus vobis, excæcatorum Pontificiorum suffragium, ut illo vos bene oblectetis: quod adeò etiā vobis misellis & veritatis præsidio destitutis placuit, vt vestro typo honorare illud volueritis. Olim quidem cum Lutherus eandem doctrinam sostenaret, intactam eam reliquerunt Papistæ: nunc autem ut nouum istud Satanæ plasma, Jesuitæ in Germaniæ scholis pedem fixerunt, iudicium rationis non scripturæ, (vt & vos) sequentes, doctrinam hanc odio D.D. Iacobi Andreæ, impugnare cœperunt. De talibus glorioſis symmachis tu verba hīc faciens, tacitè quasi gloriariſ. Sed nos in Christo duce, cuius maiestatem coniunctis viribus & Pontificij & Calvinistæ inani Philosophia impugnatib[us], verbo Dei infallibili triumphabimus. Eth[ea]c, quam supra dixi, causa est, vt propugnatores tantum & antesignanos impiæ doctrinæ vestræ, condemnemus, non item ouiculas. Nec etiam omnibus pastoribus vestris, salutem denegamus, quod plurimi mera simplicitate & nulla pertinacia errent, quia nullum aliud doctrinæ genus cognoverunt, nec etiam nostrorum libros inspexerunt: hos sc̄enū & stipulam supra fundamentum ignoranter ædificantes, saluari arbitramur, sed sic tanquam per ignem.

*1. Cor. 3.* Ceterū quod vel syncera pastorum nostrorum mentis ignarus, vel manifesta calumniandi libidine impulsus, scribis, ab illis suam sententiam in concionando occultari & dissimulari: vestram autem proponi & defendi, quid Ieudōtēçop dici potuit? falleris. Syncerè enim illi cum grege suo, quemadmodum omnes apprimē norunt, agunt & apertè: & omnem in religione simulationem, dissimulationem, cane peius & angue semper oderunt illi.

illi. Id quod & martyrum confessiones editæ certissimè docent: & pastorum ipsorum conciones & scripta manifestissimè testantur. Ergo sic tibi persuade, NE VNVVM QVIDEM inter omnes orthodoxos, id est, nostras Ecclesias reperiri, qui Vbiq[ue]itatem vestram palam & aperte non repudiet.

Nisi nos scripta vestra fallunt, tum non ignari, sed omnium certissimi sumus, vos nihil syncer'e & candide agere: sed primum nostrorum dicta & scripta calumniari, contorquere, depravare, mutilare, vt absurdissima, non legiblem, videantur. Cuius tu ipse industrium artificem in hoc libello te nobis exhibes, ita vt ille viris bonis & eruditis nihil aliud quam quædam farrago calumniarum, mendaciorum, perversionum, & nugarum, videatur: cuius etiam procul dubio plures ex tuis pudeat, vt malleum Vulcano consecratum, quam existimationem Ecclesiarum suarum per illum laborate. Quod si in publicis scriptis, vbi propulsatio metuenda est, id facere non veremini: quid putat quis in vestris conuentibus fieri, vbi defensio locum non habet, & veritas patrono caret? Deinde de cœna Domini ita splendide in vestris confessionibus & scriptis quandoque declamatis, vt idem plane quod nos docere, & verbis Christi simpliciter inhærere, videamini. Quid enim verbis Christi & nostræ doctrinæ magis affine, quam quod Caluinus in hæc verba: *Hoc est corpus meum,* in 1. ad Cor. cap. 11. scribit: *Constituo sacramentalem hic esse locum modum: vbi Dominus rei signatæ nomen, signo tribuit.* Nunc ylterius pergendum, ac quærenda metonymia ratio. Hic respondeo non ideo tantum signo imponi nomen rei signatae, quoniam sit figura: sed magis quia symbolum sit, quo res exhibetur. Similitudines enim quas mutuantur quidam à rebus profanis aut terrenis: quoniam à Sacramentis Domini habent aliquid diuersum,

98 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

non admitto. Vocatur Hercules statua Herculis: sed quid illuc est, prater nudam inanemque figuram? Columba autem Spiritus vocatur, quia certa sit tessera inuisibilis Spiritus praesentia. ERGO PANIS EST CHRISTI CORPVS: quia certò testatur, exhiberi nobis corpus illud quod figurat: VEL QVIA DOMINVS VISIBILE ILLVD SYMBOLVM NOBIS PORRIGENDO, VNADAT ETIAM NOBIS SVVM CORPVS: neq; enim fallax est Christus, qui vacuis figuris nos ludat. Et paulo post. Praterea audio quid verba sonent: neq; enim mortis tantum & resurrectionis sua beneficium nobis offert Christus, sed corpus ipsum in quo passus est ac resurrexit. Concludo, realiter (vt vulgo loquuntur) hoc est, verè nobis in cœna dari Christi corpus, ut sit animis nostris in cibum salutarem. Loquor vulgari more: sed intelligo, substrititia corporis pasci animas nostras, ut verè unum efficiamur cum eo, &c. Quid hisce verbis sententiae nostræ magis consolnum: Et huiusmodi multa in scriptis vestris leguntur. Tu quoq; ipse, in hoc præsenti libello pagina 26. scribis: Fide in cœna Domini vescentes, & sacramentaliter & spiritualliter corpus Christi simul edere: Sacramentaliter quidem, dum panem & vinum sacra cœna edunt & bibunt: spiritualiter autem DVM FIDE IPSVM ET ESSENTIALE CORPVS ET SANGVINEM DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI, REVERA PARTICIPANT. Quamuis vero corporis & sanguinis Christi præsentiam, quam nobis verbis plenissimis nonnunquam in cœna largimini, mox eam rursus subtrahatis: fit tamen istis sermonibus vestris, quibus quam proximè ad Christi institutionem & nostram sententiam acceditis, vt eos auditores rectius, quam vos proferatis

feratis illos, accipient. Quid autem ~~h~~eudotegop, quām te  
Osiandro affingere, quōd scripserit: *A* vostris sententiam pro-  
priam in concionando occultari, nostram autem proponi & defen-  
di. Vbi queso hoc scribit Osiander? *Q V A N D O Q V E*  
dicit, non semper, doctores vestros errorem suum occulta-  
re, vt videantur prorsus idem quod nos docere. Nec etiam  
inquit, *Eos nostram sententiam defendere*: quam tamen non  
raro in scriptis & confessionibus suis, ihisdem prope verbis,  
quibus nostri eam, proponunt, vt dubium non sit, eadem  
perfidiā, ipsos quoque cum grege suo agere. Et hoc aperte  
ostendunt, quām nulla intégritas sibi insit, dum quod mo-  
do affirmasse videntur, mox pleno ore negant, nostrorumque  
sententiam depravant & calumniantur, eaque illi affin-  
gunt, quae nostri ne per somnium quidem cogitarunt,  
multo minus scripserunt. Quare sic tibi persuade, omnes  
bonos, qui tua hæc legunt, vehementer mirari, te tanta  
temeritate pronunciare ausum fuisse, quasi omnium mens-  
tes in tot Ecclesijs vestris perspectissimas haberet, *N E*  
*V N V M Q V I D E M I N O M N I B V S*  
*I L L I S R E P E R I R I*, qui veram doctrinam  
nostram de maiestate Christi hominis (de monstrofa Ubiquitate,  
quam nobis dia~~o~~bolinos affingitis, nihil opus est dicere) non  
*A P E R T E* repudiet. Quām multi, putas, sunt, qui no-  
stram doctrinam de omnipræsentia Christi planè ignorant,  
quod eam sincerè proponi nunquam audierint: sed illam,  
quam à vobis cum proprijs fragmentis pugnantibus exagis-  
tari intellexerunt, quæque in rerum natura nullos assertio-  
res habet, improbat. Qui vero & hanc, & impium vestrum  
dogma de absentia Christi hominis à sua Ecclesia, execran-  
tur: tibi scilicet Oecumenico conscientiarum exploratori,  
hoc est, oues lupo, fidem & confessionē suam crediderunt?

100 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

Deniq<sup>ue</sup>, vt tandem tuam illam distinctionem aliqua ratione commendes ac probes, exemplum Pauli, atq<sup>ue</sup> adeo etiam nostrum profers. Nam neq<sup>ue</sup> vos ipse (ais) vniuersas Ecclesias Pontificias damnatis, et si earum errores varios improbat: neq<sup>ue</sup> Paulus Apostolus omnes Galatarum, Corinthiorumq<sup>ue</sup> Christianorū Ecclesias (cum eos etiā tunc sanctos, & fratres appelle) quamquam tamen quedam dogmata in verisq<sup>ue</sup> refutavit. Ex quibus effecisse te putas dogma hereticum sic damnari posse, vt tamen eadē sententiā, Ecclesiae quoq<sup>ue</sup> ipsae non comprehendantur. Video quid velis, sed quid ista ad illud ipsum, quod conari, probandum valeant, non video. Primum. n. in eo, quod de nobis ais, erras. Nā cum pontificiarum Ecclesiarum errores damnamus, & ipsas quoq<sup>ue</sup> Ecclesias, & eius Ecclesiae singulos procul dubio damnamus, qui in ijs erroribus perseverant. Sed de singulis tamen proprieatate non desperamus, cū multi ab eo errore, summa Dei misericordia, s<sup>e</sup>pē reuocentur. Praeclarè enim Augustinus: Multa sunt foris oves, multi sunt intus lupi. Sed tamen etiam eos ipsos, de quibus plane non desperamus, tam diu damnamus, quād diu errores, istos pontificios ipsi sequuntur aut profitentur. Quād rationem, quia tibi ad imitandum proponis, concluso ex te ipso, Osiander, & nostras Ecclesias, & singulos, qui in ijs sunt, attuisq<sup>ue</sup> Vbiquitariis quoq<sup>ue</sup> damnari.

Ad conscientiam Sturmij appellat Osiander & querit, An omnes Ecclesias easque totas, in quibus Pontificij docent & docuerunt per aliquot secula, ita damnent, quālī in ijs nullus electus sit & fuerit, qui salvetur? Ad hoc Danaeus non respondet categorice, sed estigium querens, de ijs verba facit, qui in erroribus perseverant. At hic non queritur, an damnentur illi qui in crassis papatus erroribus, quibus Christi meritum & officium tollitur, perseuerant ijsq<sup>ue</sup> immoriuntur; sed an sint, & fuerint:

rint olim in ipso Papatu homines p̄ij, qui impietatem pontificiam abominati sint, & hodie abominentur: aut certe simplici in Christum fide saluentur, et si non prorsus ab omnibus erroribus, & nauis pontificijs liberi sint. Hic status est præsentis disputationis. Hos si tu damnas quāam diu errores istos qualescunq; non tamen fundamentum exvertentes, sequuntur, vbi quæso Ecclesia fuit, ante quam lux & doctrina Euangelij à sordibus pontificijs repurgata resulit; Vbi promissio Christi: *Ecce ego vobiscum sum OMNIBVS DIEBVS VSQVE AD CONSVMMATIONEM SECVLIS?* An igitur Ecclesia desit? Nam secundum hanc tuam assertionem, omnes maiores nostri, etiam electi, qui aliquot seculis in Papatu vixerunt, damnati essent. In his enim, sub istis densissimis tenebris ignorantiae, multi manserunt errores, et si fiduciam suam in solum Christum collocarint. Mal' igitur ex falso præmissis concludis, Singulos in vestris Ecclesijs à nostris damnari, cum neutquam vestram consuetudinem imitantes, omnes qualitercunq; errantes tamdiu damnemus, quamdiu istos errores sequuntur. Nam plurimos saluari arbitramur, et si in quibusdam hallucinentur, nec in omnibus nobiscum faciant. Et quod ex Augustino aduersi, recte de nostris & vestris Ecclesijs dicitur. In his enim procul dubio multæ sunt simplices oues, quæ vestras nugas non curant, vel etiā non intelligunt, & verbis Christi simpliciter nobiscum credunt. Inter nos vero multi etiam clandestini lupi & falsi fratres, qui vobiscum conspirant.

Quod autem ad Pauli Apostoli exemplum, ne hoc quidem te quicquam iuuat. Nam quis dubitat, quin & Galatarum & Corinthiorum Ecclesijs, etenus damnarit Paulus, quatenus eorum dogma aperte reprehendit? Id quod ipsius Pauli verba satis

102 *Responsio pro Antisturmio D. D.*

stendunt: currebatis bene: quis vos interpellauit? Vtinam abscondantur, qui vos inquietant. O amentes Galatæ, quis vos fascinavit, ut non obsequeremini veritati? adeò amentes estis, ut cum spiritu inceperitis, nunc carne perficiamini, & catena huiusmodi. Non ne hæc tibi personas ipsas & Ecclesiæ perstringere ac ferire videntur Osianus? & non tantum ipsis Ecclesiæ errores, absq; personis & Ecclesijs. Quis neget igitur Ecclesiæ & personas aberrantes, esse à Paulo, uti errores ipsis, & pertè condemnatas?

Iterum Danæus controuersiæ statum peruertit. Non enim est quæstio, quatenus Paulus Corinthios & Galatas dñmñrit & reprehenderit: sed, an totas illas Ecclesiæ, eaz dem sententia cum erroribus & falsis Doctoribus damnari. Hoc tu affirmans probare nunquam poteris. Errores enim omnes simpliciter damnantur, quia nunquam cum veritate permutantur. Seductoribus deinde Apostolus aenathema dicit, & addit: vtinam abscondantur, qui vos inquietant. Auditores vero & Ecclesiam Galatarum licet grauisimè reprehendant: non tamen totam Ecclesiam cum falsis Doctoribus abijcit, quia procul dubio in istis Ecclesijs, multo errorem istum non sequebantur: reliqui importunis classi moribus falsorum Doctorum errore infecti, sanabiles erât. Sin vero à Paulo admoniti resipiscere noluissent: absq; dubio & ipsi damnati fuissent. Sed quamdiu sanari & corrigi se patiuntur, à Paulo non damnantur. Ideò etiam ipsis, suos fratres & sanctos vocat. Quomodo autem sancti, si damnari? Nec te quicquam iuuat, quod eos amentes & fascinatos vocat. Nam & insanctos amentia aliqua & error cadere potest, ob quem tamen non statim damnantur, quia errore isto liberari possunt. Et quemadmodum ægrotus, de quo sanitatis spes est, mortuus non dicitur. Ita nec errore infensus,

Etus, qui se erudiri patitur, nec suam opinionem pertinaciter defendit & retinet, damnari potest. Simpliciter igitur nes gamus, personas in istis Ecclesijs aberrantes, à Paulo *VTI ERRORES IPSOS*, condemnatos fuisse, licet ipsos grauiter accuset. Hac enim reprehensione ceu pharmaco quodam, animi morbum depulit, in quo si perseuerarent, damnationem haud dubie ipsis attulisset.

*At excipit, eas tamen à Paulo Ecclesijs Dei vocari, & qui in ijs erant, sanctos & fratres nominari. Quid ni verò? nec enim noua ista Ubiquitariorum Theologia, & ἀναγέννησις ἀγάπης Paulo nota erat, ut quæ Ecclesia in aliquo vel Euangelica doctrina capite, vel vita sanctæ genere deprehenduntur aberrare, statim pro Turcis, pro Mahometanis, ac omnino infidelibus censerentur. Infirmos enim fideles roborari iubet idem Paulus, & in eadem quidem Epistola, nec tantum singulos, sed vniuersos etiam ipsos Ecclesiæ cœtus. Neq; proprieità tamen negat, damnados in eo, in quo errant. Ceterum Paulus sanctas vocat etiam eas, quas tamen in aliquo capite doctrinæ damnat, Ecclesijs. Primum quòd de earum emendatione prorsus non desperaret: deinde quòd singuli in illis Ecclesijs huiusmodi errorem non sequerentur, imò ex illis quidam eum aperte condemnarent: postea quòd beneficia & dona Dei per Euangelium illis oblatæ speflarent: non eos errores, quos illæ sequebantur. Deniq; quòd non quicunq; damnantur, ijdem tamen propterea ex toto fratrum coru statim excommunicantur, id est, alieni & ab Ecclesia eius censentur. Quod tamen vos facitis. At q; hæc quidem de primo & secundo Sturmianæ disputationis capite, rbi neq; potuisse neq; debuisse nos nostrasq; Ecclesijs à vobis damnari, satis docuimus.*

Agnoscit pius lector, Danæū vertiginis spiritu agi. Modo enim D. Apostolū ita seuerū nobis proposuit, vt diceret, Ecclesijs & personas aberrantes, à Paulo, vt̄ errores ipsos, aperc̄tè cōdēnatas esse. At errores Pauli simpliciter damnauit, ergo

Gal 6.

Rom. 14.

ergo & Ecclesiæ? Nunc ei rursum personam hanc detrahit, & Paulum humanissimum pingens, quod modo affirmat, iterum negat. Si enim vere ipsos sanctos & templa Spiritus sancti vocat, quomodo ab ipso damnantur? cum damnatis enim nulla communio Spiritus sancti. Et quæ ipsi Theologia & ἀναγνῶτις ἀγνῶτι peroptime quadrat, hanc nobis per summam iniuriam tribuit. Quis enim nostrum Ecclesiæ in aliquo vel Euangelicæ doctrinæ capite, quod fundamentum non tolleret, vel vitæ sanctæ genere aberrantes, statim pro Turcis, pro Mahometanis ac omnino infidelibus censuit? An non ipsa haec præsens disputatio, te vanitatis & dialetici conuincit? Quid enim aliud hic agimus, quam quod docemus, nos cum Paulo non totas Ecclesiæ, ut errores ipsos & falsos Doctores damnare? Et quod Paulus iubet, Infirmos in fide erigere, illud nos sedulo facere? Vos autem Stoicæ Theologiæ vestra & omnis charitatis experte, concluditis, Omnes errantes cum erroribus damnari: non intelligentes, aliud esse infirmos in fide, & aliud infideles: quorum illi non possunt damnari: hinc autem cum erroribus, ex Deisententia damnari debent. Cum igitur Galatae & Corinthij non prositus infideles, sed infirmi tantum in fide fuerint, quid euidentius quam ipsos cum infidelibus Doctoribus, non fuisse à Paulo damnatos? ideoque sanare, erigere & corroborare eos in sincera doctrina studevit. Quare præstigia sunt, & meræ nugæ, quibus statim præsentem & veritatem obscurans inaniter garris, Paulum in aliquo capite doctrinæ damnasse Corinthios & Galatas, & tamen eos sanctos appellare, id est, non damnare. An totas Ecclesiæ illas tanquam infirmas, propter errores damnarit vel non damnabit, aperte & simpliciter respondendum tibi erat: de quibus fatemur nos, quod illas errorum

rum nomine reprehendendo correxerit, exerxit, & in visam reuocarit, damnari autem minimè: errores vero & falsos Doctores simpliciter damnarit. Eodem modo nostri, vestros errores & eorum pertinaces propugnatores, damnant: Ecclesiæ autem vestras nequaquam: propterea quod non singula earum membra vestros errores probent & sequantur: & qui illis fascinati iam sunt, tanquam infirmi in fide erigi, sanari, & emendari possint. Quod ipsum peculiari scripto ad Ecclesiæ Gallicas & Belgicas cœn publico testimonio testatus est D.D. Osiander. Quam vestro ineptum istud, *Quod non quicunq; damnantur, ijdem tamen propere, ex toto fratrum cœtu statim excommunicantur, id est, alieni & ab Ecclesia electi censemur?* Quid enim prodest in cœtu fratrum, locum externum habere, si sis legitimè damnatus, & reuera è regno cœlorum exclusus: aut si damnatus sis, non tamen ex Ecclesia solenni ritu excommunicatus, num ideo à bonis Ecclesiæ non alienus censeberis? Quæ hæc noua Theologia est? Certe, qui secundum præscriptum verbi Dei damnati sunt, illi re ipsa alieni, & ab Ecclesia electorum electi, creduntur, licet in societate Ecclesiæ externa maneant. Et hactenus luculenter demonstratum est, Calvinianum dogma & posse & debere à nostris damnari: & rationes Danæi futilissimas esse, quibus contrarium probare conatus fuit.

Restat igitur ultimum eiusdem disputationis caput, in quo firmissimis rationibus demonstratur, temerè, nullaq; vel iuris diuini, vel humani via obseruata, nostras Ecclesiæ ab Ubiquitariis iam damnari. Atque hoc ipsum Christianè Sturmius monuerat, ut isti nimirum præceptorum suorum (Philippi & Buceri, addo etiam Lutheri) aequanimitatem, mansuetudinemq; imitari vellent. Nam bonis pjsq; omnibus adeò dispuicit dictatoria O istorum

106 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

istorum in omnes Dei Ecclesias, atq; à nemine demandata, sed v-  
surpata potestas, vt etiam Illustriſimus Princeps Ludouicus  
Elector Palatinus (nam Landgrauium, Anhaltinum, & alios  
quām plurimos Principes viros, quos tamen honoris causa no-  
mino, commemorare nihil necesse es) totam iſorum hominum  
agendi rationem improbab̄it, verbaq; illa, damnamus, condem-  
namus, & similia tollere de nouo illo doctrinae corpore disserē  
iussir̄t. Cuius Illustriſ. Principiſ sapientiſimo confilio, quidam  
tamen ex iſis Ecclesiasticis epulonib⁹, sex viris & praeſtaſe re-  
ſiterunt.

Cur non Ecclesias vestras, sed tantum impios & blas-  
phemos errores, qui illis pro veritate venditantur, addo eti-  
am pertinaces Doctores & propugnatores eorum dannos-  
mus, veriſsimis argumentis contra Danæi & Sturmij ratio-  
nes demonstrauimus; iamq; nos Deo benē iuuante, eadem  
veritate nixi, contra Danæum, non tantum in Theologos  
synceros, sed etiam Electores, Principes, & status Imperij,  
qui formulā concordiæ approbab̄ut, eiusq; editionem pro-  
curarunt, contumeliosum, euincemus, illam condemnatio-  
nem pio, necessario, & prudenti confilio, nec non legitima  
iuris diuini obſeruata ratione, contra homines eiusdem iuris  
expertes, factam esse. Et in hac ipsa cauſa fecuti ſumus  
exemplum & præceptum Lutheri, Philippi, & Buceri, qui  
& ipſi damnarunt, & damnandos esse monuerunt errores  
cum perſpicuo verbo Dei pugnantes, quemadmodū Pap-  
pus contra Sturmium, eorundem verbis obtinuit. Et ubi  
pastori, contra lupos & falſos Doctores conciōnem affe-  
rentes, agendum eſt, quid magis præposterum & ineptum,  
quām mansuetudinem adhibere velle, qua fit, vt lupis cū in-  
genti dispendio ouium graſſari liberum permittatur? Et hac  
necessaria & pia grauitas in condemnandis erroribus vestris

(non

(non Ecclesijs Dei omnibus, vt tu vanissimè nugaris) seruata, nequaquam pījs omnibus, sed in primis vobis lupis, quos tangi sensistis: deinde Epicureis, qui concordiæ munera conseruandæ causa, nullos errores damnandos purant: postea quoq; Magnatibus quibusdam, quod de toto isto negotio minus recte instituti essent, displicuit. Reliqui & boni omnes, necessarium & utile iudicarunt, ad exemplum Christi, Prophetarum, & Apostolorum, errores damnari. Et hoc non priuatæ potestatis negocium erat: sed ab Electoribus & Principibus demandata fuit certis Theologis conscriptio Formulæ Concordiæ, quæ ab ipsisdem postea, ut plurimis Orthodoxis Ecclesijs, etiam ipso Illustriss. Principe Ludouico Electore Palatino, (postquam ipsius Illust. Celsit. a pījs & sapientibus viris, quos tu leuissimus scurra epulones vocas, verius erudita fuit) accuratissimo examine habito, approbata est: nec tantum pauci quidam, sed plurimi excellentes Theologi, etiam ipsi Electores & Principes, D A M N A N D I vocabulum ex libro Concordiæ tollinoluerunt.

Verum quid Lucas Osiander, pro illius, à se suisq; in nostras Ecclesijs prolatæ condemnationis, & sententiæ defensione responderet? Dixit Sturmius, eam iniquam & æxertop dīnyp esse, quæ à suspectis iudicibus prolatæ est, qualis ab inimicis pronunciatur. Vel ab ijs, qui dum condemnant alios, suam ipsi causam agunt, acciuentur. Hoc æquissimum, & verissimum esse, & communis omnium mortalium vox, & ipsa diuina scriptura testatur. Sed exempla quoque sanctissimorum ac Orthodoxorum patrum idem confirmant. Ioannes enim Chrysostomus à Theophilo Antiochiae Episcopo, sibi inimicissimo damnatus, postea absolutus est ab alijs Episcopis, quod ab homine manifestè inimico esset condemnatus. Athanasij

108 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

quog<sup>o</sup> condemnatio , quæ in Synodo Tyria facta fuerat , iniusta ab omnibus eâdem de causa pronunciata est. Deniq<sup>u</sup> non ne vel profani homines ipsi dixerunt ? Nemo iudex ferendus in propria ratione cause.

Quæ hoc loco scribis, in externis, politicis, & priuatissimis causis verissima sunt . Sed quid hæc ad religionis & communem veritatis causam & disceptationem ? Nobis enim nullæ priuatæ inimicitiae vobiscum intercedunt, quemadmodum Theophilo Antiochiae Episcopo cum Chrysostomo & Heraclide : nec etiam hæc causa politica vel nostra est, sed ipsius Christi: quare de illa etiam, non ex nostra ratione vel cerebro , sed secundum Christi sententiam, quæ extat in sacris literis pronunciamus. Et hoc iudicium æquissimum & verissimum esse , nemo nisl impius & profanus negabit. Ideoq<sup>ue</sup> exempla, quæ affers , præfenti negotio non quadrant, cum priuatim vobiscum nullas inimicitias geramus, nec etiam nostram sed communem veritatis, Christi, & Ecclesiæ causam agamus: amicitiam & pacem vobiscum culturi, quamprimum veritati vim facere, contumelia Christi afficere, & Ecclesiæ incommodare, destiteritis.  
Quid igitur ad hæc Lucas Osiander ? Negat si tanta in iudicibus istius controversie diligendis severitas, sanctitasq<sup>ue</sup> obseruetur, fore ut nullus unquam illius iudex sedere possit. In quo perspicue<sup>c</sup>uit, quid de suis ipse sentiat, ut q<sup>uod</sup> illos uocet o<sup>mn</sup>ia, s<sup>ed</sup> natura Deop, id est, ex animi sui affectibus, non ex vero charitatis, aut veritatis studio agere , in hac tota condemnatione fatur.

Vt in singulis pagellis, ita & hic prurientem calumniandi libidinem ostendit Danæus. Non enim Osiander negat , istius controversie iustissimos & verissimos iudices haberi posse , & etiam nunc esse: sed tibi, tibi inquam,

(Sturmio)

(Sturmio, ait Osiander) homini intempestiuè nasuto, quis tales Theologos in synodo aliqua sistere poterit, contra quos non excipias atq; dicas: In hoc sufficio haret ambitionis, odij, iniuriarum, quia dixit aut scripsit aliquid contra Zwinglianos fratres, &c. Conditiones enim seu qualitates recenset Osiander, quas in iudicibus Sturmius requirat, ut ihs consua omnes astute excipere, & à iudicis officio repellere eos possit, qui non aperte Zwinglianæ causæ fauent. Eas qualitates & astutiam hanc Sturmij, Danæus hic reicit, & verba Osiandri malitiosè deprauat, quasi sentiat inter nos stros non reperiri viros bonos, qui n̄at̄a b̄eo p̄ syncero veritatis studio de ista controuersia iudicare possint.

Nos de nostris longè aliter, & merito quidem iudicamus, quos & scimus, & pollicemur facile omnibus præiudicijs & animi sui perturbationibus femotis, veritati cessuros, si ex Dei verbo conuincantur. Itaq; à nostris eligi harum controuersiarum iudices, ac disceptatores facile possunt, eriam ex ipsis Augustanae Confessionis sectatoribus, & quidem viri boni quam plurimi, si modo talem inter Ubiquitarios suos quempiam reperi-ri posse concedat Osiander.

Vos, scilicet, qui iam supra 50. annos apertissimis Christi verbis, refragati estis, & quos nullius peruerisionis & calumniæ pudet: quicq; præiudicijs & animi perturbationibus toti fascinati & dementati estis, ihs sepositis, cedetis veritati: quis istud affirmati, nisi tui plane similis, crediderit. Et ex tali, scilicet, hominū genere, Sturmio & te consultore, iudices diligendi erant, qui hanc controuersiam ipsi de suis erroribus disceptent, & contra orthodoxos condemnati sectarij, pronuncient. Nam quod de Augustanae confessionis sectatoribus scribis, eos intelligi vis, qui ore fallaci eam profitentur, corde vero Caluinismum pro-

110 Responso pro Antisturmio D.D.

bant & occulte promouēt. Hi duplici corde homines, Deo & mortalibus exosi, tibi viri boni sunt: ingenui autem & sinceri, qui ex verbo Dei detestandas opiniones vestras aperte damnant, hi viri sunt pessimi, iniquissimi & suspe-  
cti iudices.

Secundo vero loco Scurmius afferit pulcherrimum illud exemplum Apostolorum, qui Dei spiritu in administranda Dei Ecclesia, tollendisq; eius contiouersijs regebantur, atq; hi Synodum collegerunt, ut errores iam tum subortos, legitimè damnarent: ac suo exemplo, quæ ratio in alijs erroribus tollendis, damnandisq; in posterum sequenda foret, cæteris Ecclesijs ostenderunt. Certè nihil aptius dici in hoc arguento potuit, ut intelligeretur, quæ legitima, quæ ue illegitima agendi ratio in Ecclesia Dei sit censenda, vbi de errore damnando queritur.

Exemplum Apostolorum, in quo non parim superbis, & tibi certissimā victoriā promittis, ne quicquam nobis officit. Nam idem prorsus factitārunt nostri in vestris & aliorum erroribus condemnandis. Postquam enim concordie liber, ab ijs, quibus res ab Illustrissimis Electoribus & Principibus demandata erat, conscriptus fuit: censurę omnium Ecclesiarum, quæ Augustanam confessionem profiterentur, subiectus est, vt eum ad Lydium lapidem scripturæ sacræ exacte probarent, & quod Ierosolymis ab una istius urbis Ecclesia (cuius præcipua membra tum temporis fuerunt Petrus, Ioannes, & Iacobus, Apostoli) cum Paulo, Barnaba, & paucis alijs, qui Antiochiā ascenderant, factum est, vt de contiouersia tum incidente dispicerent: illud à plurimis nostris Ecclesijs obseruatū esse nemo ignorat: vt nimirūm pastores non viuis aut alterius ciuitatis, sed plurium Electoratum, Ducatum, Comitatum, Vrbium & Oppidorum, singuli in sua παροχή, per legitimū Magistratum

# Osiandri, contra Lamb. Danæum. III

stratum colligerentur, quo de proposito libro, in quo errores in nostris Ecclesijs suborti, ex verbo Dei damnantur, exquisite iudicarent: qui etiam cōmuni suffragio plurimarū Ecclesiarum & scholarum approbatus est, nec ab ullo res lectus, nisi qui suas peruersas opinione in eo damnari intellexit, hoc est, Synergistis, Flaccianis & vestri similibus. Sed hoc exemplo (quod nostræ Ecclesiæ in vestris erroribus damnandis rite secutæ sunt) euincere velle, nullum errorem absq; Synodo ex multis regionibus & nationibus congregata, damnandum esse, hoc impugnat Osiander. Recte fecisse Apostolos in Synodo colligenda, & hodie recte fieri, medium q; legitimū esse controversias religionis per Synodi authoritatē dījudicandi, neminem esse puto qui ambigat. Sed Apostolos exemplo suo eiusmodi legem præscribere voluisse, aut alibi præcepisse, vt nullus error absq; vniuersali vel Nationali Synodo præcedente damnaretur: hoc cum Augustino (cuius verba paulo infra adscribam) disertè negamus. Nam nec ipsi Apostoli vñquam talem Synodus collegerunt. Illa enim, quam pro vobis allegatis, trium tantum quos dixi, Apostolorum, Pauli & Barnabæ, aliquot etiam Presbyterorū, & Ecclesiarū Hierosolymitanæ & Antiochenæ, congregatio fuit. Nec hoc ipsum exemplū iterasse Apostolos, legitimus. Quare si illud vim legis habere voluerunt, peccauit Paulus, qui Corinthiorū errorem, Philetum, Hymenæū & alios, extra Synodus damnauit: peccauit Iohannes, qui Cerinthi & Ebionis furores sine Synodo damnauit: peccauerunt omnes Orthodoxi Episcopi primitiæ Ecclesiæ, qui plurimos errores citra Synodi authoritatem verbo Dei damnarunt. Et quid si Synodus ista Ierosolymis planè non habita fuisset, num propterea Paulus, Barnabas & alij, iuxta tuum iudicium, illegitima ratione,

Tomo 7.  
cōtra duas  
Epistolas  
Pelag. lib.  
4. sub finē  
capitis viii  
mī.

in

112 *Responsio pro Antistiturnio D.D.*

in damnando errore Pharisaeo, vsl si fuissent? Verum, Apostoli illi tres quia facile conueniri poterant, ideo Antioches ne Ecclesiae placuit, vt idoneis hominibus missis, & illos rum iudicium tanquam columnarum Ecclesiae exquires ret. Quod ipsum studiosè securæ sunt nostræ Ecclesiae, vt omnium Ecclesiarum Augustanae confessionis iudicia, de errorum damnatione expeterent: quarum etiam suffragio, errores omnes in libro Concordiae notati, legitimè ad regulam verbi diuinæ damnati sunt.

Quid igitur ad hæc Osiander? Eleuat hoc exemplum, quia neque negare, neque effugere, neque etiam eludere illud potest. Respondet enim quosdam tantum Apostolos, non autem omnes, in ea Synodo Hierosolymitana conuenisse. Quasi vero omnes 12. in ea Synodo presentes non interfuisse idcirco colligi reble possit, quia singulorum 12. sententiæ ab Euangelista Luca minimè recitantur. At qui non tantum Apostolos: sed etiam Presbyteros ipsos in eo conuentu adfuisse, disertè testatur Lucas, & tandem totam Ecclesiam. Itaq; cum ipsi rescribunt, generaliter sic loquuntur, nemine excepto, Apostoli, & Presbyteri, & fratres, ijs qui sunt Antiochia.

Exemplum Apostolorum Osiander nec eleuare, nec effugere, nec eludere cupit. Quid enim opus? Cum istud actione sua ad amissim expresserint nostri? Sed hoc contèdit, Exemplum quidem, non autem mandatum Apostoliz cum vel Propheticum usquam extare, quod iubeat, vt ne quis error prius in Religione damnetur, quam iudicialis processus institutus fuerit, hoc est, synodus Oecumenica (quam vos urgetis) ex pluribus nationibus colligatur, quæ de illo pronunciet. Nec dicit Osiander, Inde posse colligi, non omnes 12. Apostolos isti Synodo interfuisse, quia singulorū sententiæ ab Euangelista non recitentur; sed hoc ex chrono;

# Osiandri, contra Lamb. Danæum. III

Chronologia & duobus prioribus cap. Epist. ad Gal. manis festum est. In his enim duarum profectionum suarum Hierosolymam, mentionem facit Apostolus: in quarum postea ratione, post 17. annum conuersionis suæ, Synodus istam Apostolicam habitam fuisse, magno consensu interpretum afferitur, quando dexteras societatis tres Apostoli, Petrus, Ioannes, & Iacobus, Paulo iunxerunt. Quod si intra tempore harum profectionum, Synodus hæc tam celebris habita fuisset, nunquam id Paulus reticuit: sed duarum tamum mentionem faciens, in primo ascensu Petrum & Iacobum vidisse se, ipse testatur: in secundo vero, post annum 17. consuersionis suæ, Petrum, Ioannem & Iacobum. Ex quo patet, Synodus illa in primo, siue altero ascensu Pauli Hierosolymam, habita fuerit: non omnes Apostolos ibidem adhuc congregatos fuisse. Et quomodo præcepto Christi: *In mundum uniuersum, paruiſſent, si tanto tempore omnes in eodem loco hæſſissent: Quare tres tantum Apostolos, quos nominat Paulus, in ea Synodo, cum aliquot presbyteris & Ecclesia Hierosolymitana conuenisse liquet.* Sed hoc quid ad Synodum Oecumenicam vel nationalē? Non enim vel omnes Apostoli, vel plaricq; presbyteri, multo minus omnes Ecclesiæ in orbe terrarum dispersæ, Hierosolymis congregatae fuerunt: Itaq; indefinitus iste sermo, *Apostoli, presbyteri, & fratres, his qui sunt Antiochia, &c.* restringendus est ad eos, qui tum Hierosolymis erant.

Verum, agè, concedamus, ex Apostolis quosdam Hierosolymis, & ab eo certu tunc absuisse, nonne tamen ex eo loco constat apertissime, quod effectum esse vult nobiscum Sturmius, tunc demum legitimam esse errorum in Ecclesia Dei grassantium, & fidei fundamentum euertenium condemnationem, postquam in Synodo legitime congregata, de ijs iudicatum, cum eam agendi rationem secuti sint ipsi Apostoli,

P

Nulla

114 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

Nullo modo ex hoc Apostolicæ Synodi exemplo cōstat, hanc vnam & solam errores condamni legitimam viam esse, quæ sit per Synodum; alioquin Prophetæ, Apostoli, ac multi orthodoxi Episcopi illegitimè egissent, condamnando Idololatriam & hæreses absq; e iudicio Synodi. Et cur quod effectum vis, ne litera quidē vna probare instituis? Quidā enim Apostoli de errorib; iudicādi rationē suscepérunt semel, eandem & ipsos & Ecclesiam semper obseruassé, nunquam ostendes: & contrarium sacræ literæ & Ecclesiastica historia euidenter docent.

*Alio igitur configurit homo iste varius. Negat enim ullam esse in veteri, vel nouo Testamento legem, quæ prohibeat errores in religione prius damnari, quam iudicialis processus, ut ipse loquitur, fuerit institutus, id est, priusquam legitime, & ex ordine Ecclesia de ijs cognitum fuerit.*

*lib. ann. 1580  
vbi qm fuit*  
Tu potius homo versatus & Proteo mutabilior nihil non tentas, etiam per impudentes calumnias, si quid inuenis non possis, quo tuo laboranti Caluinismo suppetias feras. An Osiandri interpretatio est, quasi velit errores prius damnari quam legitime, & ex ordine Ecclesiæ de ijs fuerit cognitum? Vestrum tantum iudiciale processum, qualem vos Caluinistæ vrgetis, & quem ne ipsi quidem in alijs damnandis seruatis, (ut nimirum errores non nisi in Synodo damnentur) non semper necessarium esse, ostendimus: quandoquidem etiam alia ratione legitime & ex ordine Ecclesiæ de erroribus iudicari possit, etiū non institutur iudicialis processus, id est, Synodus ex pluribus nationibus colligatur.

*Quid audio, Ofiander? Quid hoc aliud es, quod ait, quam Apostolos ipsos tanquam temerarios homines traducere, & quod illi tunc*

runc fecerunt, præter omnem Dei legem & voluntatem esse factum impudenter pronunciare? Nam si nulla Dei lege prescribitur hic ordo in damnandis erroribus seruandus, quo tandem Spiritu ductos Apostolos id fecisse dixerimus, suoq; exemplo ceteris faciendum prescrispisse? Age igitur quam graueriter atque etiam turpiter fallaris, omnes tandem agnoscant.

Audio Danæum impudenter calumniari. Quomodo enim Osiander Apostolos tanquam temerarios homines traducit? Quomodo præter omnem Dei legem & voluntatem factum esse pronunciat, quod recte & legitime ab ipsis factum agnoscit? Etsi enim nulla specialis lex extet, quæ iubeat errores non nisi per Synodi censuram damnare; hanc tamen Dei generalem voluntatem nouerunt, & nobis prodiderunt Apostoli: In Ecclesia omnia ordine & decenter fieri debere. Hanc Dei voluntatem Ecclesia Antiochena secuta, Apostolorum & Ecclesiae Hierosolymitanæ de incidente controversia iudicium petiit. Quam ean dem rationem & ordinem, nostri in libro Concordiæ, velut supr'a dictum, obseruârunt. Quomodo ergo non legitima vestrorum errorum condemnatio, cum ad Apostolorum exemplum eam factam esse, palam sit? Sed hoc, cuius causa te frustra multum fatigas, nunquam euinces, Quod isto exemplo nobis legem prescribere voluerint, qua Ecclesiae non liceat errorem ullum, nisi in Synodo ex pluribus nationibus conuocata, damnare. Ex quibus pariter veritatis studiosi cognoscunt, Danæum id, quod nos confutamus, pro pugnantem, turpiter hallucinari & falli.

Quaris, Osiander, ubi in veteri Testamēto mādatū sit, ut si qua heresis incideret, antē iudicialis processus fieret, ac de ea legitime, id est, audit a parte cognosceretur, & tūc demū, neq; priūs, eadē dāaretur. Profectō Politia Ecclesiastica veterē, id est, veteris Ecclesie (quæ ante Christū inter Iudeos fuit) ignorare te ostendis.

## 116 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

Quid enim apertius est, quam illud, Deut. 13. Cum surrexerit  
in medio tui Propheta, aut somnians somnum &c. dicendo, se-  
quamur alienos Deos, quos non noueras, & colamus eos, &c.  
Propheta iste plectitor morte, quia sua sit. Apostasiam: Sed ad-  
dit: Vbi inquisseris, & peruestigaueris, & percunctatus fueris  
benè &c. Vides igitur ex Dei ipius prescripto iuridicè de falsis  
Prophetis, à legitimis iudicibus & cognoscendum & iudican-  
dum esse, & quidem ex ordine iudiciorum Ecclesiasticorum.

Non querit Osiander, sed constanter negat, nullum  
mandatum vel in veteri vel in novo Testamento extare,  
quod prohibeat ante iudiciale processum, qualem vos re-  
quiritis, hoc est, Synodi generalis sententiam, errores dam-  
nare: nec dicit, antequam de ijs legitime, id est, audita parte, co-  
gnoscatur: quod tu dolose addidisti. Quis enim nisi iniqui-  
simus sentiret, quempiam inauditum, nec causâ ipsius co-  
gnita condemnandum? Et hoc Osiandro sineulla ratione  
tribuens, an non ostendis, te omnis candoris & ingenui pu-  
doris expertem esse? Nec est, ut nobis inepte occinas legem  
Mosaicam, quae tibi ne quicquam opitulatur. Quod enim  
ibi, Dominus iudicibus populi sibi, in causa capitali præ-  
cipit: idem quoque hodie Christianus Magistratus obser-  
uare debet, nimirum ut de enormibus peccatis diligenter  
inquirat, & fontes iuxta leges receptas puniat. Eodem  
modo Doctores Ecclesiae, qui iudices sunt in domo Domis-  
ni, de falsa doctrina cognoscere, & cognitam iudicare des-  
cet: quod à nostris Ecclesijs iam multis annis diligenter  
factum est, ut de vestra doctrina ex verbo Dei co-  
gnoscerent, & quoniam adulterina invenienta est, illam dam-  
narent & rejicerent. Sed quid hæc lex de officio iudicium ad  
generalem tuam Synodus? Non puto Sabaudos tuos adeo  
obesæ naris esse, ut hinc persuaderi sibi patientur,  
in Pseu-

in Pseudoprophetae doctrinam alia ratione legitimè inquire  
non posse, nisi Synodo coacta. Et si hoc serio, vt videris,  
affirmas, quomodo ab iniustitiae macula purgabis tuos, qui  
Pontificios, Anabaptistas, Synergistas, Seruetum, Gen-  
tilem, & alios, extra procesium Synodi damnarunt?  
Imo Prophetas, & Apostolos à crimine quomodo liberas  
Nam si lex istud, quod tu vis, mandat, dic nobis, quas  
Synodos celebrarint in falsa religione & Idololatria Israe-  
liti populi damnandas? Quod si ostendere nullas potes,  
an non tu ipsis tuis nugis tanquam homines temerarios  
(quod crimen Osiandro suprà intendere voluisti) tradu-  
cis, & quod fecerunt illi, contra Deilegem & voluntatem  
esse factum, impiè pronuncias?

Secundo loco, attende Osiander, quis sit iste ordo, id est, quo or-  
dine reliqua tribus, de accusatione violati cultus Dei, ab alijs  
duabus tribibus, & dimidia, cognoscunt & iudicant. Ios.22.  
Ad eas legatos mittunt, eas audiunt, & demum de hoc nego-  
rio, quod procul dubio religiosum seu Ecclesiasticum erat, pro-  
nuntiant. Ergo ex veteris testamenti expressa lege, & mani-  
festo ysu apparet, non licuisse quenquam vel singularem homi-  
nem (nendum vniuersos Ecclesiae cætus) priùs damnare, quam  
iuridicus processus ex ordine Ecclesiastico institutus esset.  
Eam autem cognitionem ad Synodum (quam vocamus) id  
est, ad conuentum eorum, qui sacra fidei & verbi Dei dogma-  
ta tunc trahabant, etiam ex eadem veteris testamenti voce obiecta  
pertinuisse, agè etiam Osiander animaduerte. Primum ex  
Deutero. 17. deinde ex Malachia 2.7. ybi disertè atque ex Dei  
lege huiusmodi controversæ de religione questiones, ad Leui-  
tas & sacerdotes, vñā cum summo sacerdote collectos, iudican-  
da pertinere dicuntur. Præterea idem ex manifestis & pul-

118 *Responsio pro Antisturmio D. D.*

cherimis gubernationibus Ecclesie, quie sub veteri Testamento fuit, exemplis obseruare potes: quorum vnum extat Hierem. 26. alterum apud eundem Hierem. 36. recitatum est, Vbi etiam in bonis Dei Prophetis à Pseudoprophetis condemnatis, iuridicallis processus, atq; etiam à Synodo propterea congregata, factus apparuit: nedum ut in Pseudoprophetis quicquam ceterum à veris Dei prophetis actum ex affectus quodam impetu actum esse censeamus? Habet igitur, quod ex veteri testamento quærebas. Accipe idem ex novo quoque.

Attendebam, an legem prolaturus esset homo mirifice se torquens & excrucians, quo vel verisimili argumēto persuadeat suis, condemnationem Calvinismi a nostris illegitimi factam esse: sed exemplum, miser, tale afferit, quod nostrorū actioni planē nihil repugnat. Ut enim reliquæ tribus de accusatiohe violati cultus diuinus ab alijs durabus & dimidia tribu, per legatos cognoscunt & iudicant: ita & nostra Ecclesiæ de vestris erroribus, ex publicis colloquijs & scriptis vestris (in quibus iam per plures annos blasphemantes auditi estis) cognoverunt, eosq; secundum scripturā iudicarunt & damnarunt. Quare exemplo isto & lege Mosis, quæ sunt (vt ex textu clarissimè pater) de non condemnando, siue capitali supplicio afficiendo, vel hominem singularē vel integrum coetum, priusquam legitimè de facto eius cognoscatur, quod intendis nequaquam efficitur. Et hec cognitio non tantum ad homines Ecclesiastici, sed etiā politici ordinis pertinuit, vt verba scripturæ manifeste testantur. Nam cum Pineha unico sacerdote, decem Principes, qui primarij iudices populi Dei erant, ad cognoscendam causam durum tribuum & dimidiæmittuntur. Legē igitur, Danæ, monstrari postulamus, quæ vetet, ullum errorem citra Synodi generalis, quamvis vos postulatis, cognitionem damnare. Legitiss

Legitimam cognitionem necessariam esse dicimus, eamque  
obseruamus: sed hanc non nisi ad Synodum Nationalem  
vel vniuersalem pertinere, nunquam demonstrabis. Cor-  
radis quidem multa ex veteri Testamento, sed ea te nihil  
prosursus iuuant. Præceptum enim Deut: 17. iubet in causis  
criminalibus quæ difficultatem habent, sacerdotes, Leuitas,  
& iudicem Politicum, qui habitent in loco, vbi Domini Ta-  
bernaculum vel Templum est, consuli. Et Malachie 2. cap.  
dicit Dominus: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & le-  
gem requirent ex ore eius. Sed quid hæc ad causam tuam?  
Quis enim ignorat vel negat, iudicium controversiarum  
religionis ad sacerdotes, hoc est, ministros Ecclesiæ pertine-  
re? Inquis: Ad Leuitas & sacerdotes, vna cum summo sacerdote  
collectos, id est ad Synodum. Verum non omnes Leuitas & sas-  
cerdotes, nec solos, sed etiam iudices Politicos cum summo  
sacerdote in loco Dei collectos fuisse constat. Si igitur Sy-  
nodum vocas conuentum quorundam, qui fidei dogmata  
tractant, qualis fuit Sacerdotum, non omnium in toto Israël  
le, sed tantum in loco Dei officij causa agentium: nihil con-  
tra leges & usum veteris testamenti, nostri peccarunt:  
Nam & ipsi plures eiusmodi Synodos in pluribus locis, ad  
cognoscendam & iudicandam vestram & aliorum Secta-  
riorum doctrinā celebrarunt: & licet omnes eodem in loco  
collecti non fuerint, animis tamen coniunctissimi, contra  
vestros & aliorum errores diserte pronunciārunt. Quid  
vero ineptius, quām malam causam pessimis veteris  
Ecclesiæ exemplis confirmare velle? Propheta Iere-  
mias occasionem captans, hora qua populus ad preces  
conuenire solebat, verbum Domini de Vrbis excis-  
dio ipsi proponit, non vt de eius veritate iudicarent,  
sed velut certissimum acciperent, & actâ poenitentiâ iram  
Domini

120 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

Domini auerterent. Ad istam concionem , absq; vlla legis  
tima ex verbo Dei cognitione , sacerdotes , Prophetæ &  
plebs , (qui præcum causa , non vt Prophetam , quod ipsi  
fortuito acciderat , audirent , congregati erant) contra Iere-  
miam insurgunt , eique necem intentant. Quo auditio , prin-  
cipes Iuda ad sedandum tumultum in domo Domini con-  
ueniunt: sacerdotes & Prophetæ ex mero affectus impetu ,  
Prophetam accusant , & dignum morte pronunciant prius ,  
quam causa ipsius ex lege Domini dijudicetur. An hoc tibi  
pulcherrimum gubernationis Ecclesiæ , quæ sacerdotibus  
comissa erat , exemplum est? An Iuridicalis processus in  
Dei Prophetæ condemnando , non à Synodo , sed furibunda  
colliuie sacerdotum contra omnia iura factus ? Et quomo-  
do quæso exemplum hoc conuenit causæ tuæ , vel Synodo  
(quam tantopere vrges) legitimè congregandæ , in qua  
non liceat errores vel homines prius damnare , quam Iuri-  
dicus processus ex ordine Ecclesiastico institutus sit? Eodem  
modo & alterum exemplum , quod extat Ierem. 36. nihil  
prorsus ad rem facit. Nam pari consilio & ratione Baruch  
(quemadmodum Ieremias ) non in Synodo ob id con-  
gregata , sed populo in die ieunij pro more in templo con-  
venieti , & postea à Principibus numero paucis , ob sua nego-  
tia in regia domo congregatis , accessitus , verba Dñi legit.

Sed hoc quid ad Synodum , in qua non populus vel  
Ecclesia vnius vrbis , non Principes politici , sed ordinis Ec-  
clesiastici homines , & quidē ex pluribus nationibus colle-  
cti , de vestra doctrina pronunciare & iudicare debet? Ago-  
scis , opinor , quam omnia inepta , & nihil conueniens ex  
veteri testamento , quamuis in eo sūdaris plurimum , ad de-  
fensionē tuæ causæ attuleris. Videamus nunc noui testa-  
menti dicta , vt ea nō minus miserè depravæ & cōtorqueas.  
Cum

Cum Dominus noster Iesus Christus ait, si peccauerit in te frater,  
die Ecclesiæ: multò magis si in totam Ecclesiam, & præsertim  
in causa doctrinæ, dicendum est eidem Ecclesia. Non ne ex  
eiusdem Christi præcepto, si vel unus quispiam ē numero fidelium  
dixerit, fecerit ue aliquid obstinate, quod fratrem offendat,  
ad Synedrion & conuentum ipsum eius catus, cuius obstina-  
tus iste membrum est, remittitur? Quicunq; ait Christus, dixe-  
rit fratri suo Racha, tenebitur Synedrio, Matth. 5. Synedrion  
audis, ad quod à Christo remittitur, qui fuit totius Ecclesiæ  
Iraeliticæ senatus, & velut ordinaria Synodus.

Vrges cum tuis Synodum, quæ non ex solis Germanis, sed ex Gallis, Belgis, Anglis, Polonis, Heluetijs, & alijs Nationibus, id est, vniuersa Ecclesiæ colligatur, sine qua vestra causa legitimè disceptari nequeat. Et hoc phantasma tuum Christi verbis Matth. 18. cap. confirmatum cupis. Quidam vero nihil pro te illa faciant, vel Caluinus tuus te docere potest, qui hæc Christi verba de senioribus Ecclesiæ exponit, quibus censura morum & doctrinæ ad veteris Ecclesiæ normam demandata est. Sed cuius Ecclesiæ rogo, Non certe totius vel vniuersalis. Hoc quidem in populo Iudaico fieri potuit & debuit, vt vitæ & doctrinæ contro-  
versiae difficiliores, ad totius Ecclesiæ, id est, seniorum pri-  
morumq; populi, qui illius personam gerebant, iudicium  
deuoluerentur: quia Ecclesia illa ad vnum locum, & vnum  
Synedrion alligata fuit. Quæ ratio Ecclesiæ cum in No-  
vo testamento non sit, sed secundum multitudinem pros-  
vinciarum, regionum & vrbium, plura quoq; sint oviæ, idèo necesse non est cuiusq; phanatici vel præfracti homi-  
nis causam ad totius Ecclesiæ senatum vel Synodum  
Oecumenicam deferri. Quot enim Synodi cogendæ?  
Imò perpetua Synodus habenda esset, in qua istorum hos-

122 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

minum peruersè dicta & facta, cognoscerentur. Ecclesia  
 igitur illa, cui dicendum est, cuiuscè loci confessus, quem  
 consistorium vocant, intelligenda est, in quo Eparchiæ  
 istius controuersiae dijudicantur. Secundum vero tuum sen-  
 sum, cuiuscè perditum hominis causa, ministri ex Gallia, An-  
 glia, Scotia, Polonia, Helvetia, &c. conuocandi essent, qui  
 ipsum ad frugem reuocarent, vell ligandi potestate aduersus  
 eum uterentur. Hoc vero quid magis ineptum ac ridiculū?  
 Sed vos, quia vestrā doctrinā non in hominem singularem,  
 sed nostras orthodoxas Ecclesiās, turbādo eas, imò in ipsum  
 Christum, peccātis, & etiam nunc peccatum vestrum præ-  
 fracte defenditis: ideo non ab una, sed omnibus Ecclesijs  
 nostris, quae puritatem religionis tuentur, vna cum vestra  
 doctrinā iudicati estis, ut quod mandauit Christus, in vos  
 Matt. 5. sedulō exequerentur. Ad posterius testimonium quod atti-  
 net, non loquitur ibi Christus de doctrinæ, sed quinti præ-  
 cepti violatoribus, qui etiam te teste, non ad vniuersam Ec-  
 clesiam, sed Synedrion siue conuentum eius cœtus, cuius  
 obstinati isti membra sunt, remitti iubentur. Quid vero hoc  
 ad præsentem controuersiam? quæ non est de particulari  
 quodam conuentu, sed vniuersali plurimarum Ecclesiarum  
 Synodo. Sed inquis, Synedrion istud, ad quod à Christo oblinia-  
 tus remittitur, totius Ecclesiae Israeliticæ Senatus fuit, & velut  
 ordinaria Synodus? Quæ Synedrīj istius authoritas fuit in  
 puniendis sceleratis & præfractis hominibus: ea quoq; hos  
 die cuiuscè urbis Senatus est: & quæ Senatus Politici iuxta  
 leges iudicantis, ea cuiuscè conuentus Ecclesiastici, ex ver-  
 bo Dei pronunciantis. Iudicium enim non hominis, sed  
 Dei est, 2. Paral. 19.

*Obijcies fortassis, huius Synedrij speciem referre vestros Superin-  
 tendentes, cum suis assessoribus. Quis vero istud tibi concedet?*

mi Osiander? Nam huiusmodi Superintendentium (quod certè vocabulum, quām sit in Dei Ecclesia superbum & arrogans, vident omnes) sed tamen huiusmodi cum suis afferoribus cœtus, non vniuersæ ipsius Christianæ Ecclesiæ: sed vnius duntaxat illius membra ac provinciæ vim, & autoritatem referunt: quemadmodum illud Iudæorum Synedrion, totam (quæ tunc inter mortales erat) veram Dei Ecclesiam representabat. Itaq; dici non potes, pari autoritate tanquam à tota Ecclesia Christiana gestum & definitum esse, si quid ab istis Superintendantibus factum es, atque illud quod à Synedrio Iudeorum decernebatur.

Licet, Danæe, confessus nostrorum, Synedrj Israëlitici speciem non referant, quod illi plures, hoc vnicum fuerit: illi particularium Ecclesiarum, hoc totius Ecclesiæ personā gesserit: non minor tamen in causa religionis, imo etiam maior est nostrorum secundum verbum Dei prōnunciantium authoritas, quām Senatus istius, qui magna ex parte ex hominibus veritatem ignorantibus & persequentibus constituit. Et vehementer erras, quod autoritatem conuentus ex specie vel forma, aut etiam numero dependere putas, & non potius ex sententiæ vel iudicij veritate. Hæc enim tua ratio si valere debet, decretum septimæ vniuersitatis Synodi, quæ totius Ecclesiæ vim habuit, contra Elibertini Concilij, quod tantum 19. Episcoporum fuit, iudicium de Imaginibus, sequendum tibi erit: quod nunquam, opinor, sodales tui concedent. Et secundum collectiō nem tuam, major apud nos authoritas esse deberet illius, quod à Synedrio Iudæorum contra Christum & Apostolos decretū est, quām quod Nicodemus, Ioseph de Arimathia, Gamaliel & alij viri boni inter Iudæos de ijs senserūt: quia videlicet hoc nō à tota Ecclesia, quemadmodū il-

124 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

Iudicium est: & Christi damnatio ex tua opinione legitima erit, quia à Synodo ordinaria, quæ totam Ecclesiam repræsentauit, facta est: Vides quod te præcipites miserum? Quare si quid vel à paucis ex verbo Dei definitur, non minor eius authoritas est, quam si illud à tota Ecclesia gestum sit. Iudicium enim non hominum sive paucorum sive vniuersorum est, sed ipsius Dei in scriptura sacra comprehensum, à qua Ecclesia Dei pendet, quia ouiculae Christi omnes & singulæ vocem pastoris audiunt, quæ praferenda omnibus decretis hominum est. Sed ut stoliditatem quoq; in reprehendendo prodas, Superintendantis vocabulum, nomine superbiae & arrogantiæ traducis, præanimi impotentia non animaduertens, hoc ipso te Paulum reprehendere, quod ministros Ecclesiæ tam superbo & arroganti nomine vocare voluerit. Episcopi enim & superintendantis vocabula idem significare, nemo ignorat. Si igitur Paulus generaliter, iuxta Caluini expositionem, omnes pastores, ministros, & Presbyteros, Episcopos nominat: cur non liceret nobis latina voce Superintendentes appellare eosquibus & gregis & ministrorum inspectio commissa est? Sed Angelica humilitas, in isto hypocrita, Apostolicum nomen ferre non potuit.

Sed ne ipsa quidem tota Germania collecta, vniuersam Dei Christianam Ecclesiam repræsentat, quoniam summo Dei Optimi Maximi beneficio impletum est, quod olim Dominus per Prophetas suos prædixerat, nimirum, ut per vniuersum terrarum orbem diffunderetur vera ipsius Ecclesia. Nam & in Anglia, & Scotia, & Polonia, & Gallia, & Heluetia, & Rhetia vere Christianæ Ecclesiæ florent, quarum neq; iudiciū aspernandum est, neq; cōsensus: & omniū authoritas, plus quam vniuersi Germaniæ, id est, vniuersitatum prouinciarum & partium Ecclesia valere debet.

Fatenum

Fatetur quidem Synodorum prouincialium magnum in Ecclesia vsum esse, imò etiam necessarium: sed qui neq; Nationalium, neq; vniuersalium Synodorum autoritati & iuri vllum præiudicium afferre, aut quicquam illis derogare vel debeat vel possit. Itaq; istorum, quos vocatis, superintendentium cum suis afferoribus sententia & confessus nullum nostra causa præiudicium aut damnum afferit, quam ab vniuersa Ecclesia iudicandum esse dicimus. Non ne igitur tibi videtur Christus, de toto aliquo fidelium cœtu errante damnando, idem sensisse, quod de vno fratre peccante constituitur? Quantumuis ergo tergiuersari velis, id tamen saluo pudore tuo negare iam non potes.

Hoc demum est, quò omnes neruos intendit Danæus, Calvinismum non nisi ab vniuersa Ecclesia & Oecumenico concilio iudicari posse, ideoq; damnationem à Germanic Ecclesijs factam, illegitimam esse. Et sanè non male Danæus, tanquam Iurisconsultus, suæ causæ consulit, vrgendo Synodus, quæ ex pluribus nationibus, ijs præsertim Ecclesijs, quæ Caluinismum propugnant, conuocetur. Hac enim ratione sperat, Caluinismum votorum multitudine nostrâ Orthodoxâ doctrinâ longè superiorem fore. Sed quantum hæc ratio valeat, dispiciamus. Quod si Ecclesiarum nostrarum (quia vniuersam Ecclesiam non repræsentant) sententia ex verbo Dei lata, nihil contra vos, sed illarum regionum omnium, quas recenses, authoritas plus, qu' am vnius Germanie, valere debet: & si prouinciales Synodi neque Nationales nec vniuersalium Synodorum autoritati & iuri quicquam derogare debent vel possunt: Stephanus certe protomartyr causa cecidit, & iust'e damnatus est, quod ipse cum paucis alijs Sy nedrio Ierosolymitano contradixit. Et vestrum iudicium de Papismi erroribus, Tridentini concilij, quod ex pluribus Nationibus collectum fuit, authoritati nihil dero-

## 126 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

Hist. Tris.  
part lib. 2.  
cap. 14.

gare poterit. Apostoli quoq; & eorum discipuli, illegitim'e  
damnasse Iudæorum sectas putandi erunt, quod non ex o-  
mnibus ipsorum Synagogis conuocata Synodo, causam  
Phariseorum & Saducæorum, quorum intererat, discep-  
runt. Verum si totus terrarum orbis, nedum paucæ prouin-  
cie, eæq; non totæ, in aliquem errorem conspirent, vnius re-  
cte sentientis iudicium pluris faciendum est, quam infinitæ  
multitudinis consensus. Nostri exemplum Paphnutij, cuius  
vnius sententiam cōtra plures Episcopos cœlibatum sacer-  
dotum introducere volentes, Nicena Synodus laudauit. Et  
nobis vnius Hussi, de Missa pontificia iudicium potius est,  
quam totius Concilij Constantiensis decretum: at iuxta tuā  
opinionem, illud derogare huic nihil potuit, quia Vnus Na-  
tionali Synodo, cuius consensus aspernandus non erat, con-  
tradixit. Sed coniūcio Danæum scribentem hæc somnisasse,  
in foro ciuili adhuc se versari, vbi suffragiorum multitudo  
vincit, verum alia Synedrij Theologici ratio est, in quo v-  
nius vox, verbo Dei conformis, plus valet, quam innume-  
ræ multitudinis diuersum sentientis vota. Intelligis quoq;  
Danæ, cōclusionem tuam ἀνύσατο & absurdam esse, quod  
Superintendentium nostrorum sententia, vestre causa pre-  
iudicium vel damnum non afferat, quia ipsorum confessus  
vniuersæ Christianæ Ecclesiæ, à qua iudicanda sit, speciem  
non referat. Hac enim reijsis omnium Prophetarum, Apo-  
stolorum, & Patrum Orthodoxorum sententias, quibus ipsi  
pauci, totius quæ videbatur, vel plurium Ecclesiarum do-  
ctrinam damnarunt, quæ non recte de religione sentiebāt.  
Et nostri nō proprio iudicio, sed verbo Dei, quod nobis an-  
tiquius est, quam omnium Ecclesiarum vestrarum consen-  
sus, vestram doctrinam iudicant & damnant: nec quicquā  
tergiuersari cupiunt, siquidem omnia, quæ tu ex scriptura  
profers, pro nobis contra te facere, perspicue' demōstrauit, ut  
merito scriptoris huius pudere te debeat.

Quid

# Osiandri, contra Lamb. Danæum. 117

Quid ipsa Apostolorum praxis (qua hoc Domini nostri Iesu Christi preceptum verè quo sensu accipiendum esset, demonstravit) non ne id ipsum confirmat? Illi enim Synodum, ad errores sui temporis damnandos conuocant, quanquā & ab ipso Christo apóstolis veritate Dei didicerant: & ea erat 12. Apostolorū authoritas, ut quod vel eorum unus pronunciasset, apud omnes Christi Ecclesias quidē ratum, firmumq; citra ullam controuersiam valeret. Sed Apostoli, viri Dei, eas veteris & noui Testamēti regulas securi sunt: & suo hoc exēplo sequendas demōstrārunt, ut legitima & vera errorū in Ecclesia Dei damnādorū ratio seruaretur: à qua qui vel ambitione, vel temeritate, vel animi impotentia, vel odio, vel præiudicijs discedunt, ij certe & à Spiritu sancti præcepto, & ab Apostolicae gubernationis norma plane aberrare merito censentur.

Quām veteris & noui Testamenti præcepta & exempla vestram causam de generali conuocanda Synodo ad vestros errores condemnandos, nihil prorsus confirmant: vt etiam Ecclesiæ nostræ illam antiquam προσέτημα secutæ sint, veramq; errorum damnandorum rationem servantes, leges diuinæ neutiquam violatæ: quia suprà plaz- nissimum feci, breuitati iam studens, ea repetere nolo. Hoc tantum nunc addo, si ambitionis, si temeritatis, si impotentiæ animi, vel odij est (vt Danæus innuere vult) absq; Synodo Nationali damnare errores, an non hīc graphicè suos despinxit, qui impotenter & temere, non falsam sed Orthodoxam doctrinam nostram, verbis Christi clarissimis fundatam, sine Synodo condemnant?

Quamobrem quæ secuta sunt tempora ad nostram. vsq; hanc aetatem, eundem in erroribus damnandis ordinem & viam, etiam corruptissimis temporibus, si non verè salte in speciem probārūt, & reipsa usurparunt, adeò, ut cū iniustè à Pontificijs damnaremur, ad iustum Synodum, & à nobis, & à vobis fuerit prouocatū: Quod igitur in vobis aduersus communes hostes valere vult;

cum

## 128 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

cur idem in nobis non admittit is? Qui verò vel à primo limine historiam Ecclesiasticam vñquam salutārit, facile nobis assentietur, atq; intelliget, etiā in ijs ip̄s erroribus (qui iam publica Synodo damnati fuerant) si qua tamen fieret interpolatio, renouatioq; iterum Synodos ad eosdem errores condemnandos congregari solitas fuisse. Quoties enim idem Arianismus damnatus es? Quoties idem Eutychianismus? Quoties idem Pelagianismus? adeò ut mihi quidem Constantinus ille Magnus (cuius tempora in grauiſſimas illas de Deitate Christi denegata ab Arianis controuerſias inciderunt) sanctissimè dixisse videatur, hanc esse sacrarum Synodorum uelitatem, ut per eas legitimè diſidia de religione sopiantur. Id quod etiam Innocentius primus reip̄sa edictus verum esse sententiā & ipſe ſuā confirmauit. Itaq; ait Isidorus, cum propter persecutionum ſequitam Synodi conuenire non potuerunt, etiā à viris, & Episcopis bonis errores damnabantur: Christianitas tamen in diuersas hæreses ſecta eſt: quod nimirum veriſſimo illo, & à Christo precepto, & ab Apostolis usurpato remedio tunc temporis Ecclesia carereret. Chrysostomus in illum locum Euangeliū secundum Ioan. Cap. 7. Nunquid lex noſtra iudicat hominem, niſi audierit prius ab ipſo, & cognoverit quid faciat, ait: Non ſolus & nudus requiritur auditus, ſed etiam diligens, quod hac particula significauit, COGNOVE RIT. Atqui vos ne auditis quidem, nedum cognoscitis. Quid, quod ipſimet Ubi uitarij, ut aliquot ſui erroris ſectarios damnarent ( quemadmodum Donatistæ, & Maximinianistas à ſe auulſos flagellarent ) Synodum ſuam ante paucos annos Torgam conuocarunt, & eam agendi rationem, quam nunc in nobis improbant, tunc tamen ut maximè veram, neceſſariam ac legitimam, comprobârunt?

Ecclesiam Christi ad nostram ætatem uſq; legitimam rationē errores ex verbo Dei damnandi, usurpasse, nemini dubium eſt. Quid verò hos ſemper in Synodo damnarit, nemo

Basilius in  
Epift. ad  
Patrophil.  
Niceph.  
lib. 8, cap.  
25.

Iſid.lib. 6.  
Eym.cap.  
18.

nemo omnium concedet, qui vel primoribus labijs scripta  
 Patrum, & Ecclesiasticā historiam degustauit. Hæc enim  
 testatur, plurimos errores, quos Epiphanius, Augustinus,  
 & alij recenserit, nulla ob eos conuocata Synodo damnaz  
 tos fuisse. Et vos, obsecro, in quo Concilio Pontificios, Sy  
 nergistas, Anabaptistas, & alios damnasti? & quia in nul  
 lo Concilio, ergo iniuste a vobis damnati sunt? Sed habe  
 mus teum, contra proprium institutum, errorem suum  
 (quamvis timide & obscur'e) confitentem ac scribentem,  
*Ecclesiam ad nostram et atem vsq, eundem in erroribus damnan*  
*din ordinē & viam, etiam corruptissimis temporibus, SI NON*  
*VERE, SALTEM IN SPECIEM probasse &*  
*vsurpare. De Pontificiorum damnatione quod affers, siccse*  
*tes habet: postquam illi doctrinam nostram sacratum lite*  
*ratum testimonij confutare non possent, gladio rem age*  
*re cooperunt, & funditus illam tollere conantes, plures crus*  
*deli suppicio affecerunt, omnibusq; Ecclesijs nostris exci*  
*dium intentarunt: quæ causa fuit, vt nostri ad liberum &*  
*legitimum Concilium prouocarent, & persecutioes inte*  
*rea quiescere rogarent. Sed nos Ecclesiæ vestras non per*  
*sequimur, nec ullum illis malum intendimus: sed amore*  
*propenso erga illas affecti, erroribus quibus a vobis imbu*  
*untur, liberatas ipsas esse cuperemus: ideoq; via & ratione*  
*ab Apostolis & antiquitate usurpata, de vestris erroribus,*  
*Ecclesiæ nostræ ex Scriptura cognoverūt, eosq; cum ver*  
*bo Dei pugnantes in Synodis, si non generali, particulari*  
*bustamen, qualis & Apostolorum fuit, damnarunt. Nec*  
*quisquam ignorat, Synodos quandoq; errorum damnati*  
*dorum causa conuocatas fuisse, quorundam etiam damnati*  
*tionem interuallo temporis repetitam: sed errores, non nisi*  
*in Synodo damnatos esse, & etiam hodie sola hac via legi*

130 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

timē daminari posse & debere, friuolum nugamentum esse  
asserimus. Nam si Tomos Conciliorum cōtuleris cū hę  
resibus, quas Epiphanius, Augustinus, & alij enumerant, de-  
prähendes, plurimos errores ab orthodoxis patribus absq;  
Synodi authoritate damnatos fuisse. Quod cum tibi igno-  
tum non sit, & illud quoq; Sturmio Osiander obiecerit: tu  
tamen istud astuto silentio præteris, ne ad hunc appellen-  
do scopulum, causæ tuæ certissimum naufragium facias.  
Et licet Synodi Generales vel Nationales legitimū me-  
dium esse possint, dissidia de Religione sopiendi: non ta-  
men hoc vnicum remedium est, nec à Christo præceptum,  
quod suprā demonstrauit. Scribit Isidorus, quod in præce-  
dentibus tempora Constantini annis, persecutione feruen-  
te, Episcopis conuenire non licuerit: quibus tu inseris,  
quod illa sævitie durante, à viris & Episcopis bonis erro-  
res damnati sint. Concedis igitur errorum damnationem  
olim citra Synodi conuentum factam fuisse. Sed addis ex  
Isidoro, Christianitatem in diuersas hereses scissam esse, quia non  
erat Episcopus licentia conueniendi in rnum, nisi tempore Con-  
stantini. At non annis præcedentibus tantum, sed etiam  
sequentibus, cum Synodi haberentur, orbis Christianus in  
sectas diuisus est, vt Catalogus hereticorum luculenter  
ostendit. An non enim post tempora Constantini Arias-  
nismus in Concilio Nicæno damnatus, longe latèque per-  
ducentos prope annos dominatus est, vt etiam Imperato-  
rum domos perrepserit? Et Nestorianismus, cū Eutychia-  
nismo, ab ipsis antiquis seculis ad hunc usq; diem, suos se-  
ctatores, eosq; non paucos in Syria & Aegypto habet. Ex  
quo manifestum est, non omnes hereses Conciliorum re-  
medio sublatas esse, licet multis Ecclesijs profuerint, ne  
vel ipsæ pestiferâ doctrina inficerentur, vel vt infecta sa-  
narentur.

Lib. 6. Etym.  
cap. 18.

narentur: & quod Concilia communis suffragio præstiterunt, hoc singuli ministri in suis Ecclesijs præstare possunt & debent, hoc est, errores verbo Dei damnare & depellere. Quod si tu Imperatori Romano, vel Princibus Eleitoribus persuadere potes, ut Synodus ex diuersis nationibus, ad vestros errores condemnandos conuocent, per nos tibi liberum est, & nostri haud grauatum compares bunt. Si vero quod vellemus efficere non vales, desine culpare remedium, quo nostræ Ecclesiæ ad vestros & aliorum errores profligandum, secundum præceptum Christi, & Apostolorum exemplum, vti debuerunt. Et quid opus erat Chrysostomi authoritatem de diligenter cognoscendis religionis controvërsijs afferre, cum nemo unquam de eo dubitarit? Nullius erroris damnationem circa Synodum Generalem vel Nationalem per Ministros fieri posse & debere, hoc tibi probandum incumbit. Sed haec diabolica calumnia est, Nos ne audire quidem, nedum cognoscere. Ad nauseam enim usque vestre blasphemiae multo iam tempore auditæ & lectæ sunt, à nostris diligentissime cognitæ, & ex verbo Dei confusatae & damnatae. Et quid magis præpostorum, quam causam tuam Synodo Torgensi tueri velle, quæ ex solis Ministris Augusto Electori subditis collecta fuit? Quod si haec tibi Synodus appellari meretur, quomodo non facteri cogeris, etiam tuum Calvinismum in Synodis, & quidem omnibus ijs, in quibus concordia liber examinatus, & publicis subscriptionibus approbatus est, damnatum esset? Et quomodo tu eos per summam leuitatem ubiquitario vocas, quos supra ubiquitatem damnasse affirmas? Et quis ignorat, qui vel obiter tantum Synodi istius confessionem inspexit, fuisse illam, erroris vestri de coena cō-

132 *Responsio pro Antislurmio D.D.*

demandi causa, conuocatam? Quod ergo rationem per  
Synodum in vos agendi nequaquam improbemus, tec[em]eo  
nomine immerito nos accusare, satis manifestum est.  
Quamobrem fatere Osiander, id quod res est, nimirum præscri-  
ptum ab ipso Sp. S. hæreſeon, si qua in Ecclesijs oriuntur, tollen-  
darum remedium esse legitimarum Synodorum conuocationem  
& congressum: non autem paucorum omnino velut septem vi-  
rorum reſtratum cœtum, qui præiudicia domo iampridem, ex  
quadam regnandi in Ecclesijs Dei libidine concepta tueantur.  
Ex quibus omnibus vos de vestro illo munitissimo, vobisq[ue] cu-  
bitissimo præſidio deiectos esse planè animaduertitis: at q[uod] videtis  
cum veteri & novo testamento, cum etiam primitiva & sequen-  
tia Ecclesia recte administrata exemplo, id est, more maiori, ut  
v[er]su perpetuā manifeste confirmari, nunquam vniuersos aliquos  
cœtus & Ecclesijs etiam de ceterim hæreſibus accusatas, si-  
ne legitima tamen disceptatione, ac processu, (qui præcedat)  
uentu damnatas fuisse, quemadmodum tamen iam vos fa-  
ctis.

Huc usque ne vñā quidem litera ex veteri vel nouo  
Testamento demonstrasti, à Sp. S. præscriptum vel præce-  
ptum esse, vt errores non nisi præcedente Synodo, quæ ex  
pluribus Nationibus collecta sit, damnarētur. Potest enim  
diligentia pastorali quoq[ue] (vt Augustinus loquitur) & par-  
ticularium Synodorum conuentu erroribus occurri, si circa  
cumstantiæ generales Synodos habere impedian: quod in  
vestro errore damnando seruatum est. Licet enim Cons  
cordiæ liber initio a sextantum viris conscriptus sit: à plus  
rīmis tamen excellentibus viris, & eruditis Theologis li-  
ber & accurate iudicatus, limatus, approbatus, & perfec-  
tus est, vt errorum istorum damnatio, non regnandi libi-  
dine,

Osiandri, contra Lamb. Danæum. - 133

dine, sed nostrarum Ecclesiarum causa, quo aduersus do-  
ctrinæ falsæ venenum munirentur, suscepta, non mino-  
rem autoritatē habeat, quām si omnes illi ministri in Sy-  
nodo conuenissent. Nihil enim præcipitanter factum: sed  
cum satis temporis ad legitimū examen sufficeret, multo  
exquisitius de singulis verbis, periodis & sententijs iudica-  
re potuerunt, quām si in Synodi conuentu suffragia colle-  
gata fuissent. Nobis igitur præsidium nostrum firmissimum  
manet, quod ad exemplum Prophetarum, Apostolorum,  
& primitiæ Ecclesiæ, legitima errorum vestrorum dam-  
natione facta sit. Atq; sancti illi viri, si populi Iudaici Idolo-  
latram, & errores non quidem sine legitimo processu, sed  
tamen nulla præcedente Synodo accusarunt & damnâ-  
runt: quomodo tu contra notissima illa exempla, & usum  
Ecclesiæ frequentem testificari audes? An igitur Augus-  
tinum mendacem facies, confirmantem Rarissimas in-  
ueniri hæreses, propter quas damnandas, necessitas talis  
(Synodos nimirum congregandi) extiterit? An non ille  
ipse plures errores absque Synodi congregatione damna-  
vit? Secundum te igitur Prophetæ, Apostoli, & orthodoxi  
Patres non legitimè administrarunt Ecclesiam, quia ratio-  
nem & viam erroribus resistendi, abs te Catholico docto-  
re præscriptam, secuti non sunt. Quid quod vestri hanc  
sibi licentiam petulanter sumperunt, nostram doctrinam  
verbo Dei per omnia consonam, variarum hæreseon ex-  
tra legitimam Synodus accusandi & damnandi?

Quid hic igitur ait Osiander? Aliam rimam nempe reperit.  
Cum enim hæc certissima sanctissimorum Apostolorum exem-  
pla proferimus aduersus superbum eorum, damnamus & con-  
damnamus, excipiunt aduersus nostrum illud, Legibus, non  
exempli iudicandum esse. Atqui, Osiander, hæc exempla fun-

R. 3 guntur

134 Responso pro Antisturmio D.D.

guntur vice perpetuae legis, que in rella Ecclesia Dei gubernatione proponi & seruari deberet. Sic quod de fide Abramam Paulus docet, id generale est. Quod Petro esurienei in aedibus Simonis coriarij demonstratum, dictumque fuerat: Madla & vescere. Item: Quæ Deus purgauit, tu ne polluito: hoc ipsum sibi singuli Apostoli dictum demonstratumque intellexerunt. Et, ut ad ea exempla veniamus, ex quibus gubernatio Ecclesia Christiana ostenditur. Quod Paulus præcipit Tito, ut presbyteros in Creta constituere oppidatim: quod Timotheo: quod deniq; ipse cum Barnaba fecit, ut presbyteros eligeret: hæc exempla, hæc certis personis præcepta, censentur tamen omnibus Ecclesijs, omnibus pastoribus, omni deniq; tempore leges Ecclesia Dei posita & constituta: ex quibus qui agit & Ecclesiam administrat, is proculdubio nō exemplis particularibus, ostenderet, sed veris & generalibus legibus in Ecclesia Dei iudicat & agit.

Apostolorum exempla non aduersantur nobis. Nam Paulum imitantes anathema omnibus dicimus, qui aliud Euangeliū de Cœna & Maiestate Christi hominis, quam quod ipse nos docuit, prædicant. Et quamvis secundū Augustinum, opus non fuerit Synodi congregazione, ut vestra aperta pernicies damnaretur: ad exemplum tamē Apostolorum & Ecclesiæ Hierosolymitanæ, Seniores & ministri Ecclesiarum nostrarum singuli in suis Eparchijs cōuerterunt, quo sinceritatē religionis, quæ vestris & alijs erroribus contaminata erat, restituerent. Et cum nullū præceptū in tota Scriptura S. de nō cōdemnandis erroribus nisi in Synodo generali: nec etiam eius ullū exemplū extet: vīta huīus regulæ patrocinio, Legibus non exemplo iudicandum esse, non indigere. Etsi quævis exempla funguntur vice perpetuae legis, nō iniuria accusant nos Anabaptistæ de recte

Ecclesie Dei gubernationis desertione, quæ tempore Apo-  
 stolorum, omnium honorū communionem, & eorundē,  
 prout cuiq[ue] opus erat, diuisionem habuit. Nos etiam se-  
 cundum tuam hanc regulam, non male administrabimus  
 Ecclesiam, qui in errorum depulsione exempla Propheta-  
 rum, Apostolorum & Orthodoxorum patrum (qui nulla  
 praecedente Synodo generali, plures errores damnarunt)  
 nobis imitanda proponimus. At pueri in scholis triuialiis  
 bus nouerunt, collectionem hanc tuam ridiculam esse,  
 Quædam exempla vim legis habent, Ergo & hoc: nisi huius eu-  
 dentem rationem ostenderis. Non enim omnia vim le-  
 gis habere: nec etiam hoc de Apostolica Synodo, instantia  
 probauit. Exempla quæ affers, tuæ causæ planè non con-  
 ueniunt. Quod enim de fide Abrahā dicitur, vel pro-  
 pterea generale est, quia alterius exempli instantiam non  
 patitur: & insuper verbum generale & promissionem,  
 quæ fidem requirit, hanc habet, In semine tuo benedicentur  
 in iuventute familiæ terræ, &c. Iustus sua fide viuet. Tali verbo  
 generali tua Synodus caret. Et quod Petro Dominus di-  
 xit, Quia Deus purificauit, tu communia non dixeris, non ex-  
 emplum, sed severum præceptum est, quod reliqui Apo-  
 stoli ex Spiritu S: instinctu, & Propheticis Scripturis de  
 gentium vocatione, ad se quoq[ue] pertinere nouerant. Tu  
 vero ad tuam hypothesin confirmandam nihil eiusmodi  
 ex Scriptura proferre potes. Quæ enim attulisti, nihil ad  
 te pertinere ostendi. Et quod de ministris ordinandis com-  
 memoras, nō tantū ipse Paulus presbyteros elegit, sed etiā  
 alijs ut ordinarent, præcepit: quia ministros Ecclesiæ con-  
 stituere semper necessarium: at Synodos ex multis Eccle-  
 sijs conuocare, nō semper necesse, nec etiam à Spiritu san-  
 ctō præceptum est, Deniq[ue] cum magna ſep[tem]bre difficultates,  
 multaq[ue]

Act. 10. cap.

136 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

multaq; impedimenta Synodis cogendis obstent, quot anis  
marum millia erroribus interea implicarentur, si hos ante  
damnare non liceret quam Synodus generalis conuenie-  
ret. Et si Nicæna Synodus nunquam celebrata fuisset, nū  
ideo Arianismi damnatio illegitima fuisset, quæ etiam ante  
conuocatam Synodum, ab Alexandro Episcopo & alijs  
orthodoxis patribus, singulis in suis Ecclesijs, facta erat.  
Deniq; hoc ipsum, quod ex Iuris consultis affers, Exemplis non le-  
gibus esse iudicandum, perperam didicisti, cum & ea Iuris ci-  
uilis regula multas patiatur exceptiones: & ut ait Ulpianus,  
quædam sint & pacta, & exempla, & facta, quæ quamuis in  
certis personis concepta extent: realia tamen, non autem per-  
sonalia (ut tu vis) sunt censenda. Ergo exemplum illud Sy-  
nodi Hierosolymitanæ, quod affertur à nobis, non esse singula-  
re quoddam exemplum, sed generale regenda Dei Ecclesia præ-  
ceptum esse concludimus.

Modo ostendi, te perperam hoc didicisse in schola, &  
pueris etiam tali argumentatione, ex puris particularibus  
deducta, risum moturum, Ulpianus dicit, quædam exempla  
realia non autem personalia esse, Ergo exemplum illud Synodi  
Hierosolymitanæ non est singulare quoddam exemplum, sed est  
generale regenda Ecclesia Dei præceptum. Accusas igitur Pro-  
phetas, Apostolos, & Antiquitatem, huius præcepti con-  
temptus: quorum illi nunquam, Apostoli semel, hæc au-  
venter legibus turgens forte rumpatur, iuridica nonnum-  
quam ut creper (inepte licet) necesse est.

Iam vero quis in hoc exemplo eludendo Ostandrici ingenij, vel  
acumen non miretur? qui tam perspicax videri vult, ut Apo-  
stolos ipsos inter se committat, id est, ut Spiritum Dei ipsum sibi  
contrarium esse probare conetur?

Iam

# Osiandri, contra Lamb. Danœum. 137

Iam vero quis in Danœo summam ingenij levitatem non vituperet? Supra enim pag. 49. dixit, Osiandrum exemplum hoc eleuare, quia neque negare, neque effugere, neque etiam eludere illud possit: nunc ipsum eludere illud affirmat vertumnus. Deinde, quis in ipso prostutam calumniandi proteruiam non detestetur, qua Osiandro per summam iniuriam affingere audet, quod Apostolos inter se committat, hoc est, spiritum Dei sibi ipsum contrarium probare conetur. Vbi vero Osiander hoc tentat?

Ait enim, (scribis) Apostolos, qui in illa Synodo quosdam errores condemnarunt, multos tamen alios sine Synodo postea damnasse.

An tu hoc negare aedes Danæ? An tibi hoc est Apostolos inter se committere, & Spiritum sanctum ipsum sibi contrarium esse, probare velle? Non puto alium in tota factione tua, hoc ex Osiandri verbis colligere ausum fuisse. Sed te iamdudum gnauiter impudentem factum, hoc etiam tanquam ab Osiandro prolatum, addere non puduit. Apostolos suam ipsorum regulam perpetuo non probasse. Quid hac additione iniquius? Contendit Osiander, exemplum Apostolorum vim legis vel regulæ perpetuae non habere, quia nec ipsi rationem hanc errores damnandi semper secuti sint, nec eam alijs seruandam præceperint. Quomodo ergo dicit, Apostolos suam ipsorum regulam perpetuo non probasse, cum ipsos exemplo suo regulam condere voluisse Osiander neget?

Paulus, ait, extra Synodus damnauit errorem Corinthiorum & Galatarum: quemadmodum & Ioannes Cerinthi & Ebionitarum, qui Christum Deum esse negabant. Adde etiam quod si tu postea, & Pouchenius Lubecensis Superintendens, sed pa-

138 *Responsio pro Antisurmio D.D.*  
rūm ipse fibi attendens, addidit, Nos quoque non expectata  
Synodo, tamen ex Dei verbo Anabaptistas & Seruianos, &  
ceteros huiusmodi, & nunc condemnare, & antea condemnas-  
se. Hæc sunt igitur quæ affers: sed audi, quid nos ad ista om-  
nia paucis respondeamus. Primum quòd ad Apostolos attinet,  
quorum exempla nobis commemoratas, dico tantam fuisse voca-  
tionis, munerasque eorum dignitatem & eminentiam, ut vel  
ynius duntaxat Apostoli doctrina & censura, cotius reliqua  
Ecclesiæ Synodo non modò aquanda, sed etiam anteponenda.  
Illi enim immediate à Deo, non autem ab hominibus, nec per  
homines eam doctrinæ didicerant, quam hominibus tradebant.  
Illi à Christo ipso velut primi Ecclesiæ Christianæ fundatores  
& architekti constituti fuerant. Illorum denique & scriptæ  
& prædicatio, & doctrina, & autoritas ἀναμφιστήτως  
fuit, ac per se ἀνέβενται, κανονική & ἀδιάθυτη: ut de ea non  
plus dubitare liceat Ecclesia Christianæ, quam de ipsamē Dei  
Omnipotentis voce. Itaque quod illi & pie & pro suo iure, &  
ex eminentia sua vocationis fecerunt, non valet in alijs  
omnibus, qui Ecclesiam Dei, sed non pari autoritate &  
prærogativa gubernant. Quanquam nec ipsi Apostoli singuli  
quenquam errorem damnarunt, nisi qui aperte illi fidei  
& doctrinæ repugnaret, que communi omnium aliorum te-  
stimonio & consensu certa, probata, confessa ac nota esset.  
Fuerunt enim certa doctrinæ Apostolicae capita omnium  
Apostolorum, & eorum, qui ut veri μαθητæ Christum &  
viderant, & audierant, confessione confirmata. Itaque scri-  
bit Iohannes non de se uno, sed de ceteris apostolis quoque  
suis intelligens, quod audiuiimus, quod vidimus oculis nostris  
quod spectauimus, quod manus nostræ contredicunt: unde  
fuisse certa quedam κατηχόρως capita, etiam tempore A-  
postolorum docent Epistola ad Galatas & ad Heb. atq. aded  
Lucas

Gal. 6. vers. 6.

Heb. 6. vers. 1.

Luc. 1. vers. 2. &c 3.

# Osiandri, contra Lamb. Danœum. 139

Lucas ipse statim in Euangelio à se conscripto, qualia nimis  
rum hac, Iesum Christum Deum & hominem esse, in carnem  
venisse, passum esse, crucifixum, mortuum denique & resur-  
rexisse & in celum ascendisse. Ex quibus postea Symbolum  
Apostolorum, quod appellatur, collectum est. Apostolorum au-  
tem in huiusmodi doctrinæ capitibus tenendis, consensio verè &  
Synodus erat, & omni etiam Synodo Oecumenica potior &  
maior, adeò ut qui contra huiusmodi capita aliquid de Christo  
dicerent, ab ipsis Apostolis, & merito & statim, tanquam ha-  
retici damnarentur. Nulla n. alia contrarij erroris cōfuta-  
tio necessaria erat, quam ipsem illi Apostolorum in contra-  
rium consensus ex eorum prædicatione, doctrina, ac testimonio  
toti Ecclesiæ, quæ tunc eos audiebat, notissimus. Itaq. in ijs  
ipsis erroribus, quos ait, Osiander, à quibus dā tantum Apostolis  
damnatos, vides vel Synodum, vel consensum atq. sonante in  
ipsa Ecclesia Apostolorum omnium vocem συμμαχεῖσθαι, quæ  
quemadmodū dixi, omni Synodo etiam Oecumenica potior est,  
veriorq., veritatis confirmande ac statuenda forma & ratio.

Atq. hæc est prima nostra ad vestrā illam obiectionem responsio.

Ad euertendam Danæi falsissimam hypothesin, qua  
nullum errorem nisi in Synodo legitimè damnari statuit,  
quid potuit validius adduci Apostolorum exemplis: quæ  
cum Danæus negare non possit, mirum in modum se  
torquet, vt rimam elabendi inueniat. Sed miser eius cri-  
minis se reum facit, cuius modo Osiandrum falso accus-  
sauerat. Sic enim exemplum illud Synodi Hierosolymis  
tanæ, perpetuæ legis vice fungitur, vt pag. 58. affirmat:  
quomodo Spiritus sanctus sibi ipsi in Apostolis contra-  
rius non est, qui quod in recta Ecclesiæ Dei gubernatio-  
ne, perpetuò seruandum proposuit, ipse primus omnium  
per eosdem violauit: Quamuis enim horum ea vocatio-

140 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

nis eminentia fuerit, vt vel vnius Apostoli vox, reliquæ totius Ecclesiæ iudicio, non tantum æquiparanda, sed etiam anteponenda sit: si tamen hoc ipsorum exemplo, perpetuam legem legitimè damnandi errores sancuit Spiritus sanctus, quomodo ipsi eâ perpetuo non tenebantur? vt suo exemplo legem firmarent, nec actione diverisa, & secundum te illegitima, legem, quam ipsi tulissent, eleuarent? Nam si turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum: certè & legislatori, si ipse primus omnium violasse legem depræhendatur. An ignoras, quod Paulus Apostolum Petrum istius præcepti: *Matta & vescere, Item: Quæ Deus purgavit, tu communia non dixeris, oblitum, grauissime reprehenderit, eiusq; illū absq; respectu personæ perpetuo obseruantem esse voluerit?* Et, si hæc sola legitima ratio est errores damnandi à Spiritu sancto præscripta, omnes certè Apostoli & tota Ecclesia Christi eius obseruantes esse debuerunt. Sed & Apostoli & Orthodoxi patres, plurimos errores extra Synodum (quod negare non potes) damnarunt. Ergo, te iudice, Spiritui S. rebelles fuerunt, vel potius Spiritus S. in ipsis sibi ipse contrarius fuit? Quare inane οὐσιοῦ ἔτη est, quod de Apostolorum præstantia commemoras. Quamuis enim discrimin sit inter personas Apostolorum, & aliorum ministrorum Ecclesiæ, eminentiae & dignitatis ratione: omnes tamen ex aequo Spiriti generalibus præceptis tenentur. Et si Apostolis licuit, præter præcepti alicuius violationem errores extra Synodum damnare: etiam quibusvis Ecclesiæ ministris, officij ratione ex verbis & decretis Apostolorum idem licebit. Cumq; ministri Ecclesiæ, manifesta Christi & Apostolorum verba, erroribus opponunt, non aliud hoc est, qu' am si illi ipsi errores hosce damnaret, iuxta illud:

*Qui*

Osiandri, contra Lamb. Danæum. 141

Qui vos audit, me audit. Et quemadmodum singuli Apostoli, te confitente, nullum errorem damnarunt, nisi aperte illi fidei & doctrinæ repugnantem, quæ communis omnium aliorum testimonio & consensu certa, probata, confessa, & nota esset: ita nos nullum alium errorem damnamus, nisi qui Prophetarum & Apostolorum scriptis, quæ <sup>αναφιέται</sup> sunt, aperte repugnet: ideoq; etiam vestrum dogma de cœna damnamus, quia manifeste contradicit ei doctrinæ, quæ communis trium Euangelistarum, & Pauli consensu certa, probata, & notissima est, & primum articulum symboli Apostolici, *Credo in Deum Omnipotentem*, negat: ut non opus sit totius Ecclesiæ conuentu, vel alia erroris vestri confutatione, quām quæ ex Apostolorum & Euangelistarum doctrina confessa est. Horum enim consensio, etiam te teste, omni Synodo maior est: & qui contra eam quid docet, statim non expectato Synodi decreto, hæresis eius damnanda est. Vides quām nihil produxeris aduersus munissimum præsidium nostrum, cuius oppugnatione tu quoq; Antesignanis Apostolis grauissimum crimen impingis, deserta videlicet stationis, quę ipsis à S. sancto assignata erat. Secundò, dicimus etiam inter ipsos met errores, de quibus damnatis agitur, alios esse, qui perspicue, manifestè, sineq; illa tergiversatione, ipsa fidei Christianæ & Euangelicæ fundamenta evertunt, qualis fuit ille Cerinthianorum & Ebionitarum error: alios autem, qui nequaquam aperte, sed ex consequenti ratum id faciunt, id quod de Donatistarū hæresi scribit Augustinus. Nam ea primum schisma quoddam dunt atque fuit, quod illi se à reliquo Ecclesia Orthodoxæ & Catholicæ corpore diuerlerent: deinde verò ex schismate facta est horrenda hæresis, quoniam suæ secessiōni, impia illi dogmata permiscuerūt. Ergo & ipsi Africanis Synodis sibi damnatis sunt, prius tamē publicè & priuatim auditi.

142 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

Non ignoramus, alios errores, alijs magis blasphemos esse. Sed quid hæc ad nostram obiectionem de Apostolo-  
rū praxi: qua demonstrauimus, Errorē cū verbo Dei pu-  
gnantes, legitimē damnari posse, et si illorum causa gene-  
ralis Synodus non cogatur. Verum homo lubricus effu-  
gia querit, & de hæresi Donatistarum ociosē garrit, ne ad  
rem respondere cogatur.

Sic & Anabaptista, quos à nobis sine Synodo damnatos esse scri-  
bis, condemnati. Primum enim in singulis oppidis, in qua pesta  
ista furtim irrepserat, publicè causam suam egerūt: ex quo cer-  
tamine cùm vici, & Dei verbo refutati discessissent, damnati  
quoq; sunt. Sed prius praesentes ipsi auditi. Sic Tiguri, sic Ber-  
næ, sic ubiq; cum ijs actū est, ut prius in publico totius Ecclesie  
cōuentu audirentur, deniq; dāarentur. Quid igitur nobis iſud  
exemplum, Ostander, obijcis, quasi nos ipsi in auditos homines et  
absentes condemnemus, & absq; publica totius Ecclesie voce &  
Synodo, quanta maxima pro ratione temporis haberi potuit.

Hic Danus tanquam mus in pice hæret, quemadmo-  
dum etiam in priori exemplo Apostolorum: & cum se  
extricare non possit, ne tamen irretitus videatur, hinc in-  
de se voluntat & obvia quæuis arripit, si forte existimationis  
suæ famam saluare possit. Verum omnia ruinosa &  
œvisata sunt. Suprà enim ad legitimam errorum dam-  
nationem, Generalem Synodum vel Nationalem, quæ  
speciem referat synedrii Hierosolymitani, requisiuit: hic  
nunc fateri cogitut, Anabaptistas à suis in nulla tali Sy-  
nodo, sed tantum in particularibus & oppidanis coetibus  
auditos & condemnatos esse. Quomodo ergo secun-  
dum tuum decretum legitimē? Aut si hæc agendi cum  
ipsis ratio legitima & sufficiens fuit, qua fronte eam in nos-  
bis improbas? Nam par i ratione cum vestra secta homi-  
nibus,

nibus, in nostris Ecclesijs agitur, vt cum furtim, more  
Anabaptistarum, irreplisse, & suum venenum, quod ad  
tempus occultare nōrunt, spargere deprehensi fuerint;  
non nisi auditii, verbo Dei conuicti, aliquoties moniti, &  
pertinaciter in errore persistentes excludi solent. Quare  
non idēo exemplum hoc vobis obīscitur, (vt tu veteratorie  
statum causæ transferendo tuo more calumniaris) quasi  
inauditos & absentes homines cōdemnetis: quis enim vos  
huius accusauit? Sed quòd eam rationem condemnandi à  
nobis requiratis, quam vos in alijs damnandis nunquam  
obseruāstis. Deinde ludis in voce: *Totius Ecclesiae*, quasi  
vniuersam Ecclesiam Christianam intelligas, cùm verum  
tantum sit de singulis Ecclesijs, in quibus Anabaptistæ à  
vestris senioribus damnati quidem sunt, non autem pu-  
blica voce *Totius Ecclesiae*, cuius procul dubio plura mē-  
bra Anabaptismum, si non apertè probārunt, nec tamen  
damnārunt etiam, quales hodie quoq; in Heluetia plures  
reperire est. Et quod addis, Anabaptistas ea in Synodo à  
vobis condemnatos esse, quanta maxima pro ratione tem-  
poris haberi potuerit: scias & nostros Caluinismum cum  
alijs erroribus, ijs in Synodis damnasse, quæ pro ratione  
temporis conuocari potuerunt. At tu supr'a vniuersalem  
Synodum, ad errorum damnationem postulasti, nunc cō-  
tra Anabaptistas particulari, & quidem singulorum op-  
pidorum singularibus conuentibus contentuses. Quæ  
hæc tua vertigo Danæe?

Præterea iij sunt Anabaptistarum errores, vt apertè cū Dei ver-  
bo pugnent, & fidei fundamentum de remissione peccatorū citra  
controversiam euertant: & tamen illi auditii sunt. Sic etiam  
Arrianismus (de quo tamē ipso damnādo plures Synodi habitæ  
sunt)

## 144 Responso pro Antislurmio D.D.

sunt) penè statim atq; exortus est, hæresis esse deprahensus, & statim damnatus. De Nouatianis autem, de Decimoquartanis, etiam de Monothelitis ipsis, sub Imperatoribus Constantiopolitanis sæpè prius quæsumus est, quām aperte pro hæreticis damnarentur: quoniam rti in viarum diuorij: sic in do-  
Eritinæ sacræ diuerticulis alia alijs manifestius, atq; clarius à recta semita nos abducunt.

Erros vestri Anabaptistarum delirijs ea ratione non absimiles sunt, quod etiam aperte cum verbo Dei, accipite, comedite, hoc est corpus meum: bibite, hic est sanguis meus, pugnant: Et fidei fundamentum si non manifeste ex consequenti tamen euertant, quia meritum Christi doctrinâ vestrâ de verbali communicatione Idiomatum, finitum & pro peccatis totius Mundi insufficiens redditur. De quibus iam multis annis publice & priuatim in scriptis & Colloquijs audití estis: quamprimum etiam Cinglianis mus exoriri cœpit, statim hæresis esse à Luthero & Collegis ipsius deprahensus est, nec tamē prius damnatus, quām diligenter de eo inquireretur, accuratè dijudicaretur, & ex verbo Dei solide confutaretur. Quare si vel propterea nō opus fuisse generali Synodo ad condemnandum Anabaptistas sentis, quia errores aperte cum verbo Dei pugnantes foueant: nec Nostri in simili vobiscum causa culpari poserunt. Verū superbia vestra, ad Pelagianotum imitacionem, hanc etiam gloriam captat, vt Orientis atq; Occidentis Synodus ad vestram apertam perniciem damnandam congregetur. At nostris Ecclesijs (quarum præcicit, post factum competens sufficiensq; iudicium, lupos in Scholis & coetibus nostris apparentes abigere, & errores verbo fidei repugnantes, publica totius Ecclesiæ nostræ voce

# Osiandri, contra Lamb. Danæum. 145

voce damnare, ut ijs infecti sanentur, & ab aliorum salute  
(vt Augustinus loquitur) & integritate vitentur.

Ergo qui errores, quiq; heretici aperte, & sine circuitione vim  
verbæ fidei negant: ij statim damnari, priuatum redargui, &  
à pastoribus excludi, ex presbyterij tamen sententia ritè pos-  
sunt: quemadmodū ab Alexandro Alexandria Episcopo cum  
Ariano acclum fuit. Qui verò per se errores non sunt (etsi erro-  
res appellantur) vel non aperte videntur esse errores, vt qui  
aliquā probabilitatis specie habent, quiq; in pluribus Ecclesijs  
conniventiā, vel alio vitio obtinuerint: in ijs omnibus ratio,  
equitasq; iuris postular, & Christiana charitas præcipit, vt Sy-  
nodus, & magna disceptatio, & minimè præceps iudicatio ad-  
hibetur. Exemplo sit hæc cōtrouersia, qua inter Ubiquitarios  
& nos Orthodoxos hodie versatur: in qua si veterū Synodorum  
aduersus Eurychen, Nestorium, Monothelitas decreta, & ve-  
terum Orthodoxorum perpetuum cōsensum retinere vellemus,  
nulla sanè noua Synodo opus esset: & tamen, vt Ecclesiarum  
tranquillitati consulatur, Synodum postulamus: quæ quoties re-  
cusatis, quid aliud agitis, quām Ecclesiarum turbas alitis, &  
vos vestræ causæ bonitati diffidere, palam fatemini?

Vt Calvinismo suo patrocinetur, distinguit inter aper-  
tos & apparentes errores, quorum illi vim verbæ fidei ne-  
gent: & exempli causa adducit Arrium: at is verba fidei  
non negauit: concessit enim Christum in Scriptura Deum  
appellari: sed vim eius negans, Christum creatum Deum  
esse blasphemauit. Hos autem ait, vel per se errores non  
esse, (quò suo Calvinismo nidulari voluit) vel non aper-  
te videri, quod probabilitatis specie se alijs commendent.  
Verum hæc distinctio nihil te iuuat. Quis enim error,  
propriè dictus est, qui non aliquam speciem veri habeat:  
etiam ipse Arianismus: Et vos manifestos errores defen-

T ditis,

146 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

ditis, qui licet non negent verba fidei: vim tamen eorum, prava interpretatione vestra tollitis. De quibus cum diu fam disceptatum sit, & minimè præceps iudicatio facta, ideo post tot fidelissimas admonitiones, iuxta præceptum Pauli, iustissimè à nostris vitaminis & damnamini. Nobis per gratiam Dei cum istis hæresibus, quarum à vobis iniquissimè, etiam absque cognitione Synodi (quod secundum te illegitimum est) accusamur, nihil communne esse, multis nostrorum luculentis scriptis demonstratum est, Ideo nec veterum Synodorum decreta nos damnant, nec etiam nostræ doctrinæ causa opus est Synodus conuocari. Congregatione vero Synodi, vt vestræ doctrina cognoscatur, quis opus esse iudicabit, cùm pluribus iam annis auditæ, vestrīç de ea libri vbiique citeruntur, scilicet Synodo, in qua magna multitudo Calvinistarum ex multis Nationibus collecta sedeat. Qui vero homines? Ad orbem terrarum commouendum, nisi Dominus illis resisteret, aptissimi, & quibus nihil minus, quam salutaris Ecclesiæ tranquillitas curæ est, sed qui ad turbas dandas natæ esse videntur. Et hæc quamvis se ita habeant: tamen ita bonitati causæ nostræ non diffidimus, ut si ratione commoda Synodus coire posset, eius disceptationem nequaquam refugeremus.

Tertiò deniq; (quod à te, tuisq; omnibus diligenter perpendiculari est) aliud est, Osiander, errorem aliquem, priuata quæserit Ecclesiæ voce damnare. Illa enim vnius aut alterius eruditæ, Christianiæ viri sive Doctoris, aut Pastoris in Ecclesia, sive etiam Idiotæ sententia de aliquo errore, priuata datur condemnatio est, quæ et si errorem, & errantem flagelat

lat, tuncumq; illi detrahit, quantum vnius hominis authoritas alteri detrahere potest: tamen neq; errorem, neq; errantem ipsum adhuc ab Ecclesia excommunicat: aut si etiam ab aliquo cœtu expellit, eundem tamen à tota Ecclesia non segregat. Concessa est enim ad cœtum Ecclesia ampliorem, ab ea priuata sententia, & condemnatione prouocatio. Hac autem, quæ vel ab vniuersa Ecclesia fit condemnatio: vel à magna illius parte, hæc certè publica, horrendaq; excommunicatio est, si verè pronunciatur, & à toto ipso vniuersa Ecclesia, ac per consequens Christi corpore segregatio est. Ergo ut huius publicæ, quam illius priuata condemnationis tertioria sunt effecta, & maiora: ut calamitas luduofior: ut diuulso perniciosior: ut vix, videntia horribilior: ita via & ratio veriusq; exercenda in multis diuersa est. Illa priuata sine Synodo aliarum Ecclesiastrium plerumq; fieri potest: hæc autem publica nunquam legitime fit, sine publica Ecclesia cognitione, congressu, ac consensu, à qua alteram ipsius corporis partem præcipuam auellit. Ergo nunquam sine legitima discepearione, nec non ijs coram prius auditis, qui damnantur, fieri debet. Atq; ut tam necessariam, utilemq; hanc nostram distinctionem facilius declarem, illustro exemplis. Alia est in ipso Germanico Imperio (quod Dominus, & felicissimum & aeternū conseruet) ea proscriptio, qua sit ab uno alicuius libera ciuitatis, vel Illustrissimi Principis Magistratu: alia autem est ea clarigatio, qua sit ab vniuersis imperij Germanici ordinibus, ac præsertim si de uno aliquo ipsius imperij membro, veluti de aliquo Illustriss: Principe Electore feratur. Illa prior, neq; comitia Imperij requirit, neq; publicum Germanie conuentum: hæc posterior vtrumq; necessario exigit, quemadmodum ex Bulla aurea Caroli quarti Imperatoris Germanici facile intelligitur.

148 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

Videtur Danæus verbosa distinctione hac publicæ & priuatæ damnationis hoc velle, vt Calvinismus publica vniuersæ Ecclesiæ voce damnetur. Quod cum certas ob causas commode fieri nequeat, nos hac quidem vice contenti sumus, beneficio Dei, & medio Libri Concordie, perniciosissimum istum errorem, ex scholis & Ecclesijs nostris profligatum esse. Et quamuis in hac distinctione plurima sint, quæ iure reprehendi possint: quia tamen suprà etiam illa attigit, breuior hic esse studebo. Error rem citra Synodum generalem, legitimè damnari posse, exemplis ostendi. Hoc nunc Danæus tertio responso infringere tentat: sed frustra, vt etiam in cæteris diluidis, laborat. Calvinianum enim dogma licet non publica vniuersæ Ecclesiæ Christianæ voce damnatum sit: nec tamen etiam priuata tantum paucorum sententia, sed plurimarum Ecclesiarum Germaniae grauissimo & accurato iudicio reiectum & excommunicatum est, nec id priuata, sed publica verbi Dei, quæ maior est totius Ecclesiæ, authoritate: quasi etiam unus, & alter tantum aduersus errorem, vel pertinaciter errantem utatur, à tota Ecclesia Christi (etsi locum externum in ea teneat) reuera exclusus ut sit necesse est. Non enim vt Danæus forensis rabula putat, eadem Ecclesiæ veræ, quæ politiæ vitæ, ratio est: in hac, si quis ex una ciuitate maleficij causa pellatur. In alia ipsi locus esse potest. At Ecclesia Christi una tantum est, ab hac si per excommunicatio nem tanquam membrum inutile segregatus fueris, talis aquilatio facta est: nec tibi in eam, nisi serio abiecto errore, reditus patet. Neque hic refert, à pluribus vel paucis excommunicatus quis sit: Una enim clavis ligans,

vnuis

vnius Spiritus est, quo omnes obstinati constringuntur & dominantur: & huius sententiae grauitati nihil accedit vel decedit ex hominum numero: nisi quod coram hominibus publicæ quam priuatæ damnatio nis tristior calamitas & horribilior auulso apparat: res uera autem vnuis & idem effectus, vna & eadem calamitas est, vt etiam vna & eadem sententia Dei, tam a paucis quam vniuersis prolatæ. Hanc ob causam Arriani iam ante Synodi conuentum, priuatis sententijs Orthodoxorum reuera à Christi Ecclesia auulsi erant, quodq; illa publica voce confirmavit, hoc idem prius singuli Orthodoxi iudicarunt. Nec publica vel priuata condemnatione præcipua corporis pars (vt ineptis) auellitur: sed Ecclesia tantum a putridis membris purgatur, ne & sana inficiantur, Et quamvis exemplum ex vita politica desumptum in multis dissimile sit: tamen & illud contra te manifeste militat. Nam vna & eadem sententia mortis est, (v. g. si quis gladio, laqueo, vel rotæ adiudicetur) vnuis & idem effectus quoque, siue ab vna ciuitate, siue toto imperio Romano in facinorosum feratur, nisi quod huius sententia horribilior apparat. Et licet plures ab hoc, illustres quoque personæ, proscribantur: non tamen singulorum causa, comitia habere necesse est, sed vt plurimum causæ illæ in Camera imperiali deciduntur. Simili modo & vestra haeretica doctrina exquisitè cognita, legitimè disceptata, & communi consensu Ecclesiarum nostrarum proscripta est. Sed inquis: *Id fieri non debet, nisi prius coram auditis ijs, qui damnantur?* Diu multumq; auditii estis coram et in scriptis, saepè quoque moniti vt errorem deseratis, & Ecclesiam turbare desistatis, sed surdis & obstinatis verba facta sunt. Ideo quemadmodum Christus pertinaces Phæ

150 *Responsio pro Antistiturnio D. D.*

riss eos absentes quoque damnauit: Ita vos cum vestra doctrina & praesentes & absentes, voce & scriptis condemnati estis. Iterum repetendo obiicis: *Alia est excommunicatio eius, qui ab una aliqua tantum Ecclesia segregatur: alia eiusdem, cum ab uniuersa Catholica Ecclesia separatur. Esi enim utraque diligentem cause cognitionem (quam tamen in nobis pratermittitis) desiderat, ipsius excommunicandi acceptionem: tamen illa sine Synodo potest fieri: hæc citera Synodus nequam.* Deliras Danæe cum tua forensi Matæologia. Nam qui rite ab una particulari Ecclesia verbi Dei sententia segregatus est, ille verè ab uniuersa Ecclesia separatus esse creditur. Ideoque necesse non est, ad vestros apertos erores condemnandos uniuersam Ecclesiam conuocari, cum illud à nostris legitime secundum præscriptum verbi Dei effectum sit.

Quod ve tu, tuiq, Osiander, omnium Patrum consensu, & refutacione verum esse, sequendumq intelligant, audi eorum sententias, quas tibi iam iam profero. Hilarius eandem calamitatem patiens pro vocabulo ὁμοούσιος, quam nos pro vocibus istis, Hoc est corpus meum, postulat, ve Synodi conueniant. Itaque ait in lib. de Synod. Pium est quod volumus, ne damnamus Patres, ne animemus hereticos: ne dum heres in repelimus, heres in nutriamus. Interpretati Patres nostri sunt, post Synodum Nicenam Homousij proprietatem: religiosi extant libri: manet conscientia: si quid ad interpretationem addendum est, COMMUNITER CONSULAMVS. Potest inter nos optimus fidei status condi, ve nec ea, qua bene constituta sunt vexentur: et quæ male sunt intellecta resecentur. Damasus. Eorum qui accusantur, causas discutere non licet, priusquam Canonice vocati ad Synodum veniant, & praesens per praesentem agnoscat veritatem, & intelligat, quæ ei obijciuntur.

ijciuntur. Quod & per sapientiam Solomonis dicitur, ante- Eccles. 18.  
quam scruteris non reprehendas: intellige parcius, & tunc  
increpa: antequam audias non reprehendas. Et licet apertis-  
fima sit conterariorum reprehenſio: veruntamen oportet & ab  
ijs, qui dati sunt ad eorum examinationem, ordinem seruari.

Gelasius: Graue satiſ eſc, & indecens, vt in re dubia, certa  
decurſententia. Cum de Ioannis Chryſoftomi Constantinopo-  
litani, & Heraclidis Ephesorum Episcopi depositione dun-  
taxat, non autem de vniuerso iphiſus Constantinopolitana,  
aut Ephesinæ Eccleſia corpore damnando ageretur, cōſtanter  
ab vniuerſis reſponſum eſc, contra Canones Eccleſiaſticos fieri,  
ſi abſentes iudicarentur, atq; condenmarentur. Nam vt ait  
Theodosius, iudicia Eccleſiaſtica non de plano, ſed cum ſumma  
& diligenti cauſa cognitione, & diſceptatione ferenda ſunt.  
Itaq; pleraq; eriam reverum Patrum damnationes improbatæ  
ſunt, quod ordine iſto Eccleſiaſtico negleto, quoſdam homines  
& ſingulos & priuatos, nedum ipſos totos cætus impietatis  
noſaffent. Ex perpetuo Synodorum vſu, atq; adeò ex ipſis Sy-  
nodorum decretis, manifeſtè apparet, queſtiones de fidei Ar-  
ticulis, de negotijs Eccleſiaſticiſ, de haereſib⁹, de Schismati-  
corum hominum cauſa in Synodis maximè generalibus, &  
tractari & decidi oportere. Et vt tandem totus hic locus con-  
cludatur, en tibi homini Romani Imperij legibus subdito, Im-  
peratoris ipſius Romani conſtitutio apertissima, Iuſtiniani  
Nouella Authentica 123. Tit. de Eccleſiaſticiſ diuerſis capi-  
tuliſ. §. Quia verò quod à ſacris dictum eſc canonibus in  
Authen. vbi omnes controverſias, quæ de fidei dogmate na-  
ſcuntur, in Synodis tractari diſerte, etiam grauiſſimarum  
pœnarum adielleione iubet optimus Imperator. Ex quibus om-  
nibus efficitur, quod volumus, eſſe iniuſtam, & vt veriſi-  
mè dixit Seurmius, ḡdikop, veſtram de noſtriſ Eccleſijs con-  
demnationem.

Can. Graue n.  
quæſl. 3.

Allato

152 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

Assertionem hanc tuam, Omnia patrum consensu & testimo-  
nio, errores non nisi in Synodis legitimè damnari posse (totas  
Ecclesias nos nequaquam damnare suprà ostensum) iam  
pridē erroris cōuici. Et facile princeps Doctorū Ecclesie  
Augustinus lib. 4. contra duras Epistolulas Pelagianorum,  
capite ultimo in hæc verba scribit : Quid est ergo quod di-  
cunt de simplicioribus Episcopis, sine congregazione Synodi in lo-  
cis suis sedentibus , extorta subscriptio est? Nunquid beatissi-  
mis & in fide Catholica excellentissimis viris, Cypriano & Am-  
broasio ante istos , aduersus istos extorta subscriptio est, qua eo-  
rum impia dogmata, tanta manifestatione subuertunt , ut qua  
contra eos manifestiora dicamus , vix nos inuenire possumus?  
aut verò congregazione Synodi opus erat , ut aperta pernicio-  
damnaretur ? quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi congre-  
gatione damnata sit : cum potius R A R I S S I M A E inuenian-  
tur , propter quas damnandas necessitas talis exticerit : multoq;  
fint atque incomparabiliter plures , que ubi exticerunt , illic im-  
probari damnariq; meruerunt , atque inde per cæteras terras de-  
uitandæ innotescere potuerunt . Verùm istorum superbia hanc  
etiam gloriam captere intelligitur , ut propter illos orientis &  
occidentis Synodus congregateur . Orbem quippe Catholicum , quo-  
niam Domino eis resistente , peruertere nequeunt , salem commo-  
uere conantur , cum potius vigilancia & diligentia pastorali po-  
factum illis cōpetens , sufficiensq; iudicium , vbi cunque isti lupi  
apparuerint , conterendi sint , siue ut sanentur atque mutentur ,  
siue ut ab aliorum salute atque integritate vitentur . Audis er-  
rores & hæreses illic damnandos luposque conterendos  
esse , vbi cunque apparuerint . Quia ergo falsa vestra dog-  
mata in nostris quoque Ecclesijs plantari & exoriri coe-  
perunt : ideo quoque illuc damnari , extirpari , & lupi ap-  
parentes , ejici meruerunt . Hanc præcipui Theologorum  
author

authoritatem, omnibus quæ in speciem abs te afferuntur, oppono; quamvis & haec nihil prorsus incommodent nos. Solet enim Danæus Iesuitarum more, testimonia & exempla nihil ad rem pertinentia cumulare, vt obiter tantum insipientium oculos glossis marginalibus perstringat. Iubet Hilarius in causa ὁμοεοίς communiter consilere: sed & hoc à nostris diligentissimè factum: & quam ipse calumniam pro vocis ὁμοεοίς proprietate perpessus est: eandem & nostri pro sensu nativo verborum cœnæ Dominicæ. Synodi mentionem eo in loco Hilarius non facit, sed communiter vt consulant, suadet: quod etiam citra Synodi conuentum subscriptionibus fieri potest: quæ ratio tempore Augustini (vt ex verbis eius modo citatis patet) & in hodierno negotio Concordiæ à nostris obseruata est. Et quid manifestius, qu'ām Damasum Pam, per Synodum intelligere cuiuscq; loci consistorium? Titulus enim est: *Antequam examinentur aliqui, non iudicentur.* Et decretum hoc generale est, de quibusuis, non tantum Religionis causis: quod ipsa Solomonis verba testantur, quæ neminem reprehendi volunt antequam audiatur, & causa ipsius examinetur. Et quid absurdius esset, qu'ām nullius qui accusatur causam, nisi in Synodo generali discutere? Aut ergo particularium Synodorum, hoc est, consistoriorum cuiuscq; vrbis & dioceſeōs iudicium probes necesse est: aut stultissimè fingas, omnium qui in toto Christiano orbe, quacunque de causa Ecclesiastica vel politica accusantur, quæſtiones discutere non licere, extra vniuersalem Synodum. Neque nos contra Gelasij iudicium in re dubia sed omnium certissima, nisi vos Christus veritas (quod impossibile est) fallat, sententiam damus. Exempla quæ affers Chrysostomi & Hera-

154 *Responſio pro Antiflurmio D.D.*

clidis pariter inepta sunt. Nam cum Heraclides Ephesiorum Episcopus absens in iudicium adductus, grauiſſimorum criminum accusaretur, quod aliquos iniuste verberasset, & vinculis conſtrictos, per mediam urbem Ephesiorum ad ignominiam ducendos curasset, Chrysostomus socrat.lib.6.ca.15. responderet: Non oportere de absentibus iudicium fieri. Sed quid hoc exemplum de cauſa criminali, extera & dubia, ad vestrā clarissimam, testatam, & in omnes per uulgatam cauſam, cuius cognoscendae gratia, non opus ſit vestrā praefentia, cum innumerū a vobis ſparſi libri ex tent, qui vestrās blaſphemias loquuntur. Eodem modo & Chrysostomi exemplum inconueniens est, ut responsionem nullam desideret. Hic enim quater a paucorum Episcoporum Synodo Chalcedonem vocatus, ut de cauſa ipſius, quæ extera & politica magis erat, cognosceretur: socrat.lib.6.c.14. cum autem comparere recufaret, Episcopatum abdicatus est. Theodosij testimonium ſimiliter non officit noſtris. Vestrā enim & reliquorum in fide errantium cauſam diligentissimē cognouerunt, diſceptarunt, & ex verbo Dei iudicarunt. Quod si veterum Orthodoxorum Patrum legitimae damnationes extra Synodum in controuersijs Religionis ex verbo Dei factæ, ab alijs improbase sunt, perperam hoc factum eſſe ſcias. Ad Synodum enim generalem nulla lege diuina alligati ſumus: nec etiam vobis hominum decretis hac in parte tenemur: Errores vero ut quauis occaſione damnemus, & auditores ab illis præmoneamus, ex officio compellimur. Sin vero, quod in cauſis externis iudicandis Ecclesiasticum ordinem ſue Canones Ecclesiæ tum temporis viſitatos non ſeruārint, reprehensi ſunt, nihil iſtud ad nos. Nec inficiamur quaſtiones de fidei Articulis, negotijs Ecclesiasticis, & heretibus

# Osiandri, contra Lamb. Danœum. 153

sibus in Synodis generalibus pertractatas fuisse. Sed non nisi in his legitime decidi illa posse & debere, hoc rationibus & exemplis supra allatis pernegamus. Deniq; ut nihil priorum omniū, quæ produxit Danæus, causæ ipsius suffragatur: Ita nec cōstitutio Iustiniani, quæ sic habet: *Quia vero quod in sacris dictū est Canonib. de sanctis. Episcoporum Synodis, quæ per singulas debent celebrari prouincias, hue usq; obseruatum non est: maximè necessarium fuerit, ad rectam id de-nudū reducere viam.* Ac sancti quidem Apostoli & Patres defi-  
nierunt, ut bis per singulos annos religiosiss. Sacerdotum seu Episcoporum in quaq; prouincia celebrarentur Synodi, & quæ suppulularent, examinarentur, potirenturq; competenti cor-  
rectione: hoc est, altera quidem quarta feria sanctæ Pentecoste, altera vero in mense Septembri. Nos autem cum ex huius-  
modi negligentia multos varijs implicitos peccatis inueneri-  
mus, iubemus, ut omnibus modis in quaque prouincia, per sin-  
gulos annos, vel in Mense Iulio vel Septembri, vna Syno-  
dus celebretur, coēantque in unum apud beatiss. quidem Pa-  
triarchas, illi qui ab ijs ordinantur, neque ius habent alios  
ordinare Episcopos: apud Religiosiss. vero cuiusque prouincia  
Metropolitanos, hi qui ab ipsis ordinantur: quò magis mo-  
re cause, & quæ ab aliquibus denunciantur vel occasione fi-  
dei, vel Canonicarum quæstionum, vel administrationis re-  
rum Ecclesiasticarum, &c. aut alijs quibuspiam, quæ cor-  
rectionem desiderant, agitentur iuxta & conuenienter exami-  
nentur, neque non correctio ijs adhibeatur, quæ sacris Canoni-  
bus & nostris conueniat legibus. Hic cogitandum, Orientis  
Imperium in plurimas prouincias diuisum fuisse, in quic-  
bus singulis vna Synodus quotannis celebranda fuit.  
Quot igitur prouinciae, tot Synodi. Sed quid haec ad ge-  
nerale tuum Concilium? In particularibus Germaniæ

Constit. 137. Tit  
de ordinatione  
Episc. & Cler.

156 *Responsio pro Antisturmio D. D.*

Synodis, errores vestros damnatos esse negare non pos-  
tes. Ex quibus perspicitur, Danaeum ingenti hiatu &  
magno conatu verborū, nihil eorum quæ voluit effecisse:  
& Calvinismi damnationem, ad præceptum & exem-  
plum Christi, Prophetarum, Apostolorum, & antiqua-  
tis factam, iustissimam esse.

Ergo quod conqueritur Osiander, male cum Ecclesijs actum iri,  
nisi sibi suisq; socijs liceat citra Synodum, errores, quos vocat,  
& putat esse cum fide Euangeliij pugnantes, anathematizare  
animi sui morbum ostendit: ac se in Ecclesia Dei iam eum pri-  
matum affectare, Diotrepis exemplo, ut unus ipse statuere  
posset, quod tantum totius Ecclesiae voce, & autoritate ex  
Dei verbo definiendum est.

Hanc esse virulentam calumniam & malitiosam  
sententia Osiandri peruersiōnem, quæ nulla confutacione  
Antisturm. pag. 17. egeat, hæc ipsius verba declarant: Et præclarè scil. ageretur  
cum Ecclesia Dei, si errorem cum fundamento fidei pugnantem,  
Theologis damnare non licet, donec vniuersalis Synodus cele-  
braretur. Quot interim animarum myriades perirent?  
Potes tu quidem eos, quos constat errores esse impios, priuatim &  
in scholis & in concionibus tuis, modesta rāmen oratione, ex  
Dei verbo refutare. Hanc autem doctrinam quam Christiana  
Ecclesia, id est, ipsa præcipua Christi membra sequuntur  
& pro vera fide amplectuntur, errorem esse definire, sicq; ipsas  
Ecclesias à tua Ecclesia, aliorumq; fidelium societate segregare,  
à Christo separare, hereticas appellare, certè citra legiti-  
mam, liberamq; Synodum nullo modo aut iure potes. Id quod  
me hactenus demonstrasse spero.

Pro imperio Danæus tanquam Oecumenicus di-  
ctator, & Deo & hominibus præscribit, quid possint  
vel non possint. Deinde ridiculo supercilio Calvinistas  
(quo)

Osiandri, contra Lamb. Danæum. 157

(quorum nomine obstinatos doctores & propugnatores Calviniani dogmatis intelligo) præcipua Christi membra vocat, quæ videlicet caput suum ignominia afficiunt, nescientes, Christum secundum humanitatem (gratia cuius caput nostrum esse creditur) omniscientem, omnipotentem, & omnipræsentem esse: qua cōfessione seiplos à Christo & vero ipsius corpore, quod est orthodoxa Ecclesia, separant. Et hanc blasphemam in Maiestatem Christi hominis doctrinam legitimè citra Synodum generalem damnari posse & debere, hactenus demonstrauit.

Ceterum quod ait, nostra argumenta tibi, tuisq; diligenter esse perspecta, eaq; deprehensa pugnare cū Dei verbo, in eo fucū tantum facis, & tenebras bona cause nostræ astutè conaris offendere. Quomodo enim ea pugnare cū Dei verbo dices, si intelligeres? Quomodo autem nostra intelligitis, qui illa ne quidē legi publice finitis? Testis erit illa Saxonica exegesis, in quam inquisitoris publicè sunt delecti à vobis, & severissimi quidē, ne quis eam habere deprehendatur: Et si quis erit deprehensus, grauiissima pena plectatur. Testes etiam eruditissimi Ioannis Caluini libri, qui à vobis iam publicè proscribuntur. Quemadmodū enim Pontificij homines scelerati, ad extinguendum omnis veritatis lumen ipsius S. Scripturæ lectione populū interdixerunt: sic vos pafri homines & Pontificiorū æmuli, ne nostri dogmatis veritas à vestris gregibus agnoscatur, nostrorum scriptorum lectionem, & promulgationem usq; fieri prohibetis. Quod nos de vestris minime facimus, ita nimirum bona nostræ cause confidimus, quoniam eam etiam ex collatione, quæ cum vestra fit, eam illustrari quoridē cernimus.

Non inficiamur Illustrissimos Principes nostros Virtutem Bergicos, ante cōplures annos pie & sapienter cauisse, utne commenta vestra, imperitæ iuuentutis causa, quæ

158 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

propter extatē de hisce controuersijs adhuc iudicare non  
potest, & facile verborum illecebris rationiq̄z humanæ cō-  
sentaneis opinionibus capitur, publicè distraherentur.  
**Quemadmodum** enim venena in pharmacopolijs nō quis-  
busuis, sed tantum peritis prostare debent, ne indocte tra-  
stantes ea sibi & alijs exitio sint: Ita quoq̄z Principes nos-  
tri, pestiferam doctrinā vestram, tantum præcipuis Theos-  
logis suis, perspectam esse voluerunt, vestraq̄z vt legerent  
serio mandarunt, quō suos auditores ab ea præmonere  
possent. Et vt fatear quod res est, nunquam à nostris  
Theologis, studiosis inhibitum fuit, quō minius vestra le-  
gerent. Quæ est igitur Danæa argumentatio hæc? *Vos*  
*non intelligitis nostra, quia illa publicè legi non finit.* Imò quia  
vestra legimus & probe intelligimus, idèo confutamus,  
dānamus & execramur illa. De Exegesi Saxonica, si verū  
est quod scribis, quis dubitat à Magistratu rectissimè fa-  
ctum esse: Iubemur enim probare spiritus an ex Deo sint.  
**Qui vero** ex Deo est, non fugit lucem: sed omnis, inquit  
Christus, qui male agit, odit lucem, nec venit ad lucem,  
ne arguantur opera ipsius. Talis est iste tenebrio, lucifus  
ga, spiritus mendax, exegeta, qui nec nomen suum, nec lo-  
cum æditionis profiteri ausus fuit: sed instar furis & latro-  
nis, Ecclesiæ Saxoniz ignotus ingredi tentauit. Postquam  
igitur opera ipsius conspicua facta sunt, illud Pauli, opis-  
nor, studiosis dictum fuit: *Cauete canes, cauete malos*  
*operarios, cauete concisionem: cauete fures & latrones,*  
*qui non interdiu per ostium in stabulum ouium in-*  
*trant, sed clam aliunde ascendunt, vt furentur, mactent*  
*& perdant.* Et si forte olim à quibusdam libri Caluini  
publicè proscripti sunt: præter exempla vetustatis id mi-  
nimè

*Ioan. 2.*

*Philip. 3.*

*Ioan. 10.*

# Osiandri, contra Lamb. Danaeum. 159

Hist. Tripara.  
lib. 2. cap. 15.

nime factum esse noueris. Nam Constantinus ille Magnus, sub poena Capitali præcepit, vt si quæ conscriptio ab Arrio facta reperiatur, igni tradatur: vt non solum prava eius doctrina depereat, sed neq; vlla eius possint remanere commenta. Et licet Ecclesijs & scholis purioribus quam optimè consuleretur, si vestra commenta penitus ignorarent: eandem tamen, quam Arrij scripta fortunam hactenus experiri illa, hanc forte ob causam noluerunt, quod veritas ex opposito mendacio magis elucescat. Et quid dissimile magis, quam te comparationem nostrorum cum Pontificijs instituere? Quæ enim similitudo luci cum tenebris: & veritati cum mendacio? Pontificij ipsam veritatem & lumen Scripturæ sacræ extinctum cupiebant: nostri autem librorum vestrorum, quod personosam & impuram doctrinam continerent, publicationem olim inhibuerunt, & quidem propter eos tantum qui infirmiori iudicio sunt, quam ut spiritus probare & vestra φύσις, deprehendere possint. Adhac nisi toties malam tuam fidem prodidisses, putarem, vel nunc te veri quid dicere, quod vestri nimirum nostrorum scriptorum promulgationem non prohibeant: sed istud agnatum quasi vobis supercilium est, vt vestra, velut simiæ suos catulos, admiremini tantum nostrorum labores vero ex alto despiciatis, vt cautione hac vobis opus non sit.

Sed quomodo nostra argumenta intelligitis, qui cum mirè inter nos omnes consentiamus, tamen creditis, vel fingitis infinitam esse inter nos in hoc de S. Domini cœna capite sententiariū varietatem? Quomodo nostra argumenta caperetis, quæ ex ipsis Scripturæ verbis, fidei analogia, perpetua sacramentorū regula

160 *Responsio pro Antisturmio D.D.*  
gula ducuntur, cum et Scripturae ipsius verba in cena Domini  
peruertatis, & fidei analogiam negligatis, & Sacramentorum  
naturam in Domini cena sacrosancta abrogatis? Et cer-  
te quoties vestras interpretationes de verbis cena Domini,  
& de his vocibus, Corpus meum, considero, venit in men-  
tem illud Hilarij: Inane est calumniam verbi pertine-  
scere, ubi res ipsa, cuius est verbum, non habeat difficulta-  
tem.

Scripta vestrorum, quae extant, testificantur, ipsos in  
expositione verborum coenæ plurimum variare. Caro-  
stadius enim pronomen & flagellans, de corpore Chri-  
sti absidentis, non pane, illud exposuit, in hunc sensum:  
*Hoc, quod videtis, est corpus meum: demonstrans non panem sed*  
*corpus suum.* Zwinglius deinde verbum EST per SIGNI-  
FICAT exposuit: cuius natuam significationem Occo-  
lampadius retinens, vocabulum corporis exanimauit, &  
pro vero figuratum substituere nobis voluit. Schuuenck-  
feldius (qui vestris hominibus in negocio coenæ se con-  
iunxit) verba institutionis inuertens, ex subiecto prædi-  
catum hoc modo fecit: *Corpus meum est hoc, id est, verus*  
*anima cibus.* Caluinus inter Zwinglij & Lutheris enten-  
tiam fluctuans, sibi ipsi non constitit. Scribit enim in  
1. Corinth. ii. *Columba spiritus vocatur, quia certa sit tessera,*  
*inuisibilis Spiritus presentie.* Ergo panis est Christi Corpus:  
quia certo testetur, exhiberi nobis corpus illud, quod figurat: vel  
quia Dominus visibile illud symbolum nobis porrigo, vna dat  
etiam nobis suum corpus: neque enim fallax est Christus, qui  
vacuis figuris nos ludat. Postea vero subiungit: *Verum ut*  
*capaces huius communionis simus, assurgere in cælum nos ope-*  
*ret.* Quomodo quæso haec sibi conueniunt? Dominus  
vult

vifibile illud symbolum nobis porrigoendo, vnâ dat etiam nobis suum corpus: & tamen nos fide in cœlum affurge-  
re oportet, si corporis & sanguinis Christi participes fieri  
velimus? Alij relativum Q. y O. D. pro quatenus exponunt.  
Et quamvis diuersæ & varia, multoq; plures aliae opinio-  
nes vestræ sint de verbis coenæ: tamen in eo vos om-  
nes mirifice consentire, firmiter credo, quod in negocio  
coenæ cum Anabaptistis, Suenckfeldianis, Turcis, Iu-  
deis & Gentilibus nihil prorsus creditis. Et qua fronte,  
argumenta vestra ex Scripturæ verbis, fidei analogia, &  
sacramentorum regula ducta esse scribere audes cum  
illis καὶ οἱ μετ' ἐμοῦ, opposita sint? Christus enim inquit:  
Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Vos  
autem corpus ipsius à coena tantum distare affirmatis,  
quantum cœlum a terra: & eo ipso Sacramenti huius na-  
turam perditis. Tale enim quodque Sacramentum est,  
quale est verbum institutionis: nec omnium vnam &  
eandem rationem esse, verbum Dei ostendit. Nos autem  
Scripturæ verbis (quaæ vos interpretatione falsa peruers-  
titis) simpliciter credimus: Et fidei analogiam de sessione  
Christi Hominis ad dexteram Dei omnipotentem, & vbi  
que præsentem: naturam quoque Sacramenti coenæ,  
quam vos omnino tollitis, studiose seruamus. Cumque  
verba coenæ nihil obscuritatis vel difficultatis habeant, nos  
calumnias vestras non pertimescimus, sed miramur  
potius, vos eo temeritatis progressos, vt interpreta-  
tionibus vestris illa obscurare, & quasi obliterare au-  
deatis.

Denique quod scribis antea iussu aliquot Illustriß. Germanie  
Principum instituta fuisse colloquia, ybi nos & audit, & con-  
victi erroris à vestris sumus, quale Marpurgi, Heidelbergæ,

162 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

Maulbrunnæ factum fuit, iam ostendis, qua fronte & ore, non tantum qua conscientia vir sies, Osiander, qui cum ex ijs ipsis Colloquiorum (qua citas) Actis, mendacijs caouincarisi, iam impudenter tamen ista scribere sis ausus, tanquam in profundo quodam puto demersa esset istarum actionum veritas, non autem publicè edita, & à vestris etiam subsignata extaret. Sed quid ni hic falsa supponeres, qui alibi, & in hoc scripto nimis in voce Vbi quid atis abneganda te non nisi mendacio tueri potes? Verissimum enim esse hoc, quod iam dico, ex ipsis Colloquiorum, quæ tu ipse profers, publicis Actis cuilibet apparet, nunquam nimirum nostros ex huiusmodi Colliquijs videtis discessisse, in quibus etiam nulli indices federunt: sed certamente tandem eò denuenisse, ut de mitigandis, explicandisq; quibusdam locutionibus inter partes ageretur. De R.E. 18 S.A. au-rem Sacramenti, & de praesentia ipsius carnis & sanguinis Christi in S. Cœna, inter verosq; conuenire: sed de modo praesentiae ratum disceptatione superfluisse. Id quod iam docuimus.

Pag. 57.

Hæc ipsa Colloquia ostendunt, te omnes verecundiae limites transilijisse. Clamitas enim, nos non audire, nedum cognoscere: quis vero ex tuis quoq; cui vel mica pudoris insit, negare audebit, vos in colloquijs hisce auditos non esse? Quod vero etiam manifesti erroris convicti sitis, ipsa acta quæ extant, bonis omnibus fidem faciunt. Idem præterea confirmat iudicium Illustrissimorum Principum, qui nostram piam sententiam constanter retinuerunt, & multò severius quam vñquam antea a suis ditionibus Calvinismum depellere publicis edictis statuerunt. Multi quoq; alij, qui istis actionibus interfuerunt, confirmato iudicio, maiori quam antea odio doctrinam vestram execratis cœperunt. Et quod nullius conscientiæ vel ruboris homo sis, hæc tua verba ostendunt, scribens:

Cer-

# Osiandri, contra Lamb. Danœum. 163

Certamen tandem eò deuenisse, ut de mitigandis explicandis quibusdam locutionibus inter partes ageretur. De RE IPSA auem Sacramenti, & de præsentia ipsis carnis & sanguinis Christi in S. Cœna inter verosq; conuenire: sed de modo præsentie tantum disceptationem superfluisse.

Hæc vanissima esse, publica acta demonstrant, quæ ne verbum quidem de his, quæ homo hic impudens comminiscitur, habent. Et scripta vtrinque ædita euidentissimè declarant, de re ipsa Sacramenti, hoc est, substantia corporis & sanguinis Christi, quæ cum symbolis panis & vini in cœna sumitur, nunquam inter partes conuenisse: nec etiam de modo præsentie, à nostris disceptatum vñquam fuisse: quemadmodum nec ipsi Ubiquitatis vocem excogitarunt, sed à Zuinglianis eam confictam esse constat, vt barbaro vocabulo piam doctrinam nostram blasphemarent, eamq; imperitis contemptam & exosam rediderent.

Denique ut habeat & Osiander ipse, & Ubiquitaria Confessionis socij ad quod nobis respondeant, planeq; intelligant, etiam Lutherum ipsum (cuius unius auctoritate nisi videnter vellet) primum nobiscum sensisse, atque etiam posse Polemica à se scripta, en primùm ipsiusmet Lutheri ante infelices istas controversias placide de sancta cœna adhuc sentientis verba: Ecce Sacramentum signum, quo nobis promittitur, offeretur, & exhibetur communio, & incorporatio cum Christo, & sanctis fidelibus eius, ut Paulus ait: unus panis, unum corpus sumus: unde Sacramentum in pane & vino accipere, nihil est aliud, quam certum signum accipere huius communionis & incorporationis cum Christo & omnibus eius sanctis fidelibus. En etiam posse motas controversias eiusdem

164 *Responsio pro Antistiturnio D.D.*

Lutheri aliud scriptum ad Helueticas Ecclesias, iam defundo  
Zuuinglio, missum. Tertius articulus est de Sacramento cor-  
poris & sanguinis Christi: in quo nusquam adhuc docuimus, at  
ne nunc quidem docemus, Christum ē cælo, vel à dextra Dei  
Patris, aut ascendere, aut descendere, siue visibili, siue inuisibili  
modo, &c. (Ergo Lutherò dæxtera Patris non est Ubiqui-  
tas) verum tamen si forte ne hæc quidem (ut suprà dictum est)  
alij alios intelligimus, præstat sanè nos nihilominus inuitem  
benevolentiam colere, & semper meliora alios de alijs iudicare,  
donec gluma & turbida aqua prorsus residat.

Habemus Danæ verissima & certissima, quibus ma-  
litiosæ impudentiæ vestræ, qua Lutherò Zuuinglianis  
simum affingere audetis, respondeamus, vt omnes intellis-  
cant, Lutherum (cuius autoritate minimè in fidei capitib-  
us, sed solo Scripturæ fundamento nitimur) nec ante nec  
post Polemica scripta vñquam vobiscum sensisse. Pris-  
mum enim constat, prima illa verba Lutheri desumpta es-  
se ex homilia de Sacramento corporis Christi, (quæ extat  
in 1. Tomo Ien, fol. 205.) in qua initio statim distinguit in-  
ter ipsum Sacmentum, & eius spiritualem significatio-  
nem: & adhanc disertis verbis refert communionem &  
incorporationem cum Christo & sanctis fidelibus, cuius  
signum, Sacmentum cœnæ hanc ob causam esse dicit,  
quod quemadmodum panis quem sumimus ex multis gra-  
nis cōficiatur, ita nos omnes vñ corpus in Christo sumus.  
Quid igitur manifestius, qu'ām Lutherum his verbis non  
negare præsentiam corporis & sanguinis Christi in cœna,  
sed tantum eius fructum & vñum salutarem ostendere?  
Deinde in eadem homilia, pag. 208. manifeste asserit sub-  
stantialē præsentiam corporis & sanguinis Christi in cœna,  
scripsit.

# Osiandri, contra Lamb. Danœum. 165

scribens: Præter hæc omnia, has duas species non nudas nec inanes instituit, sed veram naturalem suam carnem in pane, & verum naturalem suum sanguinem in vino dedit, ut omnino perfectum Sacramentum sive signum (communionis videlicet & incorporationis cum Christo & sanctis) exhiberet. Hæc si Lutherus ante pugnas istas infelices scripsit, quomodo ergo de coena S. vobiscum sensit? Deinde quomodo hoc ipsum probare te posse speras, ex Epistola ipsius ad Helueticas Ecclesias? In qua docet quid ipse cum suis de coena sentiat: quod nimurum nec ascensum nec descensum Christi de Cœlo vel dextra Dei doceat vel fingat, sed simpliciter retineat verba institutionis, Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus. Et quo sensu hæc verba cœnæ accipiatur, declarant articuli Formulae Concordiae Vittenbergen sis, quos Heluetijs per Bucerum & Capitonem transmisit, in quibus secundus & nonus sic habent: 2. Cum pane & vino verè & substantialiter præsens adest, exhibetur & accipitur corpus & sanguis Christi. 9. Indignis etiam exhibetur verum corpus & verus sanguis Christi, & ab ijsdem accipitur, sim modo verba institutionis feruantur & usurpantur. Hos Articulos vñā cum reliquis, teste Lauatero, obscuros & ambiguos esse dixerunt Helvetijs. Sed eos manifestissimos esse, & opinioni Zwingli planè oppositos, quiuis intelligit, idcirco etiam subscribere ijs Helvetijs noluerunt. Quomodo ergo consensum suum de coena Epistolâ hac testatus est Lutherus? A dextra Dei Christum non descendere fatetur, vt nobis in cœna præsens sit. Quid enim opus? Cum in cœlo, & terra, & ubique existat. Quod vero subiungit,

Veruntamen si fortè ne h̄ic quidem alij alios probè intelligimus,  
preflat nunc nos inuicem benevolentiam colere, & semper

166 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

*mutua humanitatis officia expectare, donec gluma & turbida  
aqua residat.*

Scripsit Lutherus hæc, sperans Heluetios Concordiam Vuitebergensem amplexuros esse: sed quia ad petitionem Buceri & Lutheri inire eam noluerunt, quid manifestius, quam illam opinioni Zuinglianorum aduersam fuisse?

*Hæc Lutherus, qui & Basiliensem fidei confessionem, quæ nunc extat, approbanuit: & Formulam Concordia inter Ministros Francofordienses à Bucero dictatam: & Syngramma Sueicum, & confessionem fratrum Valdensium. Quid amplius? Vuitebergensis ipsa Concordia ex ipsis penè Lutheri ore missa, quam propè nobiscum, exceptis quibusdam voculis, ille consenserit, apertissimè, ac luce etiam ipsa meridiana clarius restatur. Quæ autem parua confessio Lutheri dicitur, omnia hac tempora, & Lutheri iudicia secuta est: sed ea neque omnibus collegis ipsius Lutheri placuit, ut appareret ex eorum scriptis: neq; ex eorum communi sententia (quod fieri tamen oportuit) sed ex cuiusdam Amsdorfi Lutheri depravatoris, atque assentatoris duntaxat intemperie (cui se Lutherus procul dubio facilem se præbuisse constat) edita fuit arque conscripta. Vide igitur quam temere nobis Lutherum obijicias, aut nostrorum cum Luthero Colloquia. Sed etiam si pauci illi nostri in Colloquium conuocati vestris consentire non potuerint, non sequitur nostram causam & fidei confessionem vestrâ deteriorem esse: aut vestram sententiam verius verbo Dei niti, quam nostram. Quid igitur? eo tantum efficitur, plures ex veraq; parte esse conuocandos & alios iudices, qui neutram partem præiudicijs suis adhuc grauarint, esse feligidos ac adhibendos, qui de tota hac controvèrsia cognoscant. Id est nempe, quod dicimus, Synodus legitimam ex omnibus reformato-*

Osiandri, contra Lamb. Danceum. 167.

reformatis Ecclesijs necessariò igitur esse cogendam. Nam etiam vera sententia, in qua legitimus ordo neglectus est, pro iniusta, & illegitima ex Augustini ipsius responso censenda est. Quæ quia de Synodis, & legitimo errorum in Ecclesia damnatorum ordine diximus, reliqua Sturmij Argumenta, quæ Osiander confutare voluit, persequamur.

Lutherum, Basiliensem confessionem in Articulo cœnae approbasse nunquam persuadebis ei, qui ex publicis Actis cognovit, Illum declarationem Articuli huius per Capitonem & Bucerum ab Heluetijs petiisse, simulq; misisse capita Concordiae Vuitebergenensis, quæ confessioni Basiliensi de cœna Domini ex diametro aduersantur. Si enim probauit, cur eius declarationem petiit? Cur ei contrariam Confessionem opposuit? Francofordiensis Concordiae Formula, quæ & qualis fuerit, & an Lutherus probârit eam, dicere non possum. Hoc autem scio, Lutherum Francofortenses per Epistolam (quæ extat Tomo 6.) monuisse, vt sibi diligenter a suis ministris cauerent, qui nec calidi nec frigidi ambigua de cœna Domini docerent. Extabat tunc temporis Augustana Confessio, quæ synceris ministris abunde satis facere potuit. Syngamma vero Sueicum cur non probasset Lutherus, quod ex professo contra Oecolampodium scriptum fuerat? Qua de causa & ipse Antisyngamma scripsit. Quæ igitur vertigo haec tua, allegare illud tanquam præfationem præmisit Lutherus, quod prima illa nostræ doctrinæ manifeste non repugnaret: At posterior nunc austera & adulterata est. Et quid apertius, qu'ām Concordiae Vuitebergenensis Articulos, non PROPE consentire, sed

168 *Responsio pro Antisturmio D. D.*

dis Al<sup>o</sup> πασο<sup>ν</sup> cum vestra confessione pugnare: ut mirum sit, qua fronte hic homo, illam in suam sententiam pertransire conetur. Sed omniū maxime pungit eos parua cōfessio Lutheri, qua vehementissime in Zuinglianos inuechitur: ideo deprimere & omni pondere priuare eam Danaeus hīc molitur, sed frustra. Nulli enim omnium collegarum ipsius, qui modo syncerus esse voluit, displicere hæc potuit. Nec etiam Lutherus arundini similis fuit, vt præter rationem ab Amsdorffo vel alio quoquam impelli se ad scribendum passus fuerit: sed præuidens Spiritu, hac se iniuriā a vobis affectum iri, quasi Zuinglianismo fauerit: ideo singulari, necessario, & vtuli consilio, confessionem hanc edidit, vt toti mundo testatum faceret, sibi cum Spīritu Zuinglii nihil commune fuisse: huncq; tota posteritas vt diligenter careret, fidelis pastor, sedulò monere voluit. Et huius authoritatem Osiander tibi nequaquam obiecit, sed sacram Scripturam imposturis tuis opposuit. Pari ratione Lutherus ipse, inania sophismata Zuinglii & Oecolampadij, in Colloquio Marpurgensi, solide ex verbo Dei confutauit & prostrauit, vt acta publica à Philippo conscripta testantur. Eodem modo in reliquis etiam Colloquijs & conuentibus verbum Dei vestris figuratis oppositum fuit, vt cuiuis iudicare facile sit, vestram causam, ceu verbo Dei perspicuo aduersantem, pessimam esse. Et quia Confessio vestra iam olim deprehensa est pugnare cum verbo Dei, ex eoq; erroris conuicta & legitime (vt suprā demonstratum) damnata, idēo nationali Synodo, ad eius cognitionem minimē opus est. Verū, quod benē meminerit lector, vult Danaeus eiusmodi iudicis suis adhuc grauārint. Vbi terrarū vero tales inuenies: Nam & Lu-

& Lutheranorum & Caluinistarum (quos vocant) quiscq;  
partes suas pro virili tuebitur. Fortè secundum Danæi hy-  
pothesin, Papistis aut etiam Turcis iudicium committen-  
dum erit: ut qui neutrius partis sententiam amplectantur?  
At ne hi quidem Iudices idonei esse possent, cum certissi-  
mum sit, eos Caluinianarum partiū futuros esse. Nam enim  
olim, quidam editis scriptis gloriati sunt, Turcicum Impe-  
ratorem, cum audiuisset controuersiam hanc de coena, sens-  
tentia Zwinglii probasse. Quis ergo vel tandem deligen-  
tibus erit iudex, siquidem Caluinistæ, Turcæ, & etiam Pas-  
tistæ (in capite nimirum de Maiestate Christi hominis)  
suis præiudicij sententiam nostram grauarint? Reliqui  
sunt ex ijs, qui nomen Christianum profitentur Epicuræi,  
quibus nulla religio curæ est: aut si placet cōtrouersiæ hu-  
ius prorsus ignari & rudes, hos Danæa hypothesis ut iu-  
dices constitutat necesse est. Putat enim Danæus ceu iu-  
tis civilis ineptus crepator, Religionis controuersias sicut  
politicas per iudices qui neutrales sint, decidi oportere.  
Tales vero alij non sunt, nisi quos dixi Epicuræi. Et hæc  
de errorum damnandorum tam per Synodi quam citra  
eius congressum legitima ratione, dicta sufficiant.

Dicit quarto loco & verè quidem, idem Sturmius hac ratione  
agendi & stringendæ in nostras Ecclesiæ condemnationis  
fieri in dies Pontificios sæuiores, atque ad nos persequen-  
dos vehementius incitari, quod omne crudelitatis ac lani-  
na genus (quo in nostros vñsunt) sic videatur ab Ubiquita-  
rijs probari. Quid igitur ad tam prudentem admonitionem  
Osiander? Respondet, satius esse errores damnare, quam  
dissimulare. Neque esse omittenda bona necessaria, ne eue-  
niant mala. Satius fuisse aperte dicere Osiandrum, se malle  
animos suo morem gerere, quam quicquam pensi in fratribus

Y Gallo-

170 Responso pro Antisturmio D. D.

Gallorum, Hispanorum, Italorum & aliorum salute conservanda habere. Sed primum de eo constare ex legitima cognitione oportet, veri nos ne, an vos errorem doceamus. Nos enim vestrum Ubiquitatis dogma plane erroneum, & verbo Dei perpetuoq. Ecclesia consensu damnatum, & vetustati profus inauditum esse, varijs scriptis iam ostendimus. Vos autem velut etiam Pontificij, dum nos damnatis, & partes & indices sedetis, & certorum quorundam verborum inepta, falsaq. interpretatione nitimini. Denique Christum iam ex necessario consequenti negatis verè hominem esse: quia per vos verè humanum Corpus iam non habet. Ergo in eo primum falleris, quod nos qui non erramus, tamen errare putas.

Hac Sturmij accusatione iniquissime nostros grauari & falso illis culpam tyrannidis Pontificiae imputari, viri intelligentes iudicabunt. Nullas enim Ecclesias, sed errores vestros condemnârunt, vt ijs infecti sanarentur, & sani illis non inficerentur, non autem vt tyrannidi Pontificiorum, quam semper detestati sunt, obijcerentur. Nec Pontificij in quenquam vestrum sequieruntur, quia nos Calvinismum damnamus: sed quia Pontificis & Ecclesiæ Romanæ decretis obediens recusat. Ideo etiam iam pridem & vos & nostros tanquam haereticos proscripterunt & persecuti sunt. Et si haec ratio tua valere debet, an non fateri cogeris, vos infectionibus vestris, quibus Orthodoxam nostram doctrinam multarum haereseon falso accusatis, corundem sequitur Ecclesias nostras obijcere? Sed haec accusatio Sturmij prudentiam quidem mundanam, non autem veram sapientiam redolet, putantis, errores externæ tranquillitas causa non esse damnandos. Cui Osiander responderet, Satius esse damnare errores, vt effugiantur & animæ seruentur:

tur: quād dissimulare eos, vt quād latissimē serpant, & anima-  
rum salus periclitetur: nec omittenda esse bona necessaria, præ-  
fertim in causa conscientie & fidei (quale es ē errorum manife-  
statio & damnatio) ne eueniant mala externa. Non igitur dissi-  
mulandos esse errores, quō vitæ huius tranquillitatem retinean-  
mus: nec errorum refutationem & condemnationem omitten-  
dam esse, ne persecutiones exoriantur. Ad hæc, quibus nihil  
verius & rectius secundum Scripturam dici potuit, quid  
Danaeus errorum patronus? Quia firmissimum telum,  
quod nulla ratione infringere posse, oppositum sibi vi-  
det, ideo astutè declinat, & Osiandri responsum frigi-  
dissima elusione eleuare conatur, quasi aliorum salutis  
rationem nullam habeat. At scias Danæe, Osiandrum  
non animo suo, sed verbo Dei morem gerere (quod iu-  
bet doctrinæ sanæ aduersantes seueriter redarguere) eodqz 2. Timoth. 4.  
Tit. 1.  
ipso plurimorum saluti, ne vestram perniciosa doctrinam  
sequerentur, consulere voluisse. Vos autem ma-  
nifestos errores cum verbo Dei pugnantes tueri, luculens  
nostrorum scriptis demonstratum est, simulqz ostensum,  
doctrinam nostram de cœna Domini & Maiestate  
Christi hominis, quam tu odioso Ubiquitatis vocabulo  
subinde deformare soles, verbo Dei & puriori vetustati,  
quibus vos vestris violentis contorsionibus vim & in-  
suriā facitis, per omnia consonam esse: nec eā humanis  
tatem Christi tolli, sed diuina Maiestate, quam ei Scri-  
ptura, salua ipsius substantia, tribuit, ornari. Et in hac con-  
trouersia, Apostolorum & ipsius Christi partes sequimur,  
vti quorum verbis nullam interpretationem fallam, quod  
vobis vistissimum est, affingimus: sed eorū genuinum &  
pprium sensum, vt in verbis testamēti decet, exquisitè reti-  
nemus, ijsqz blasphemias vestras iudicamus et damnamus:  
exemplū Prophetarum et Apostolorū in hoc imitātes, qui

172 *Responsio pro Antisturmio D. D.*

contra idololatras & hæreticos , simul & iudices & partes  
sederunt , & secundum perspicuum verbum Dei pronun-  
ciarunt . Vos autem Pontificiorum vestigijs in hac quiz  
dem parte insistentes , vt plurimum Patrum testimonij ,  
ihsq; a vobis corruptis , & commentitiae Scripturæ inter-  
pretatione , (cum vera & propria sententia eius , in vestra  
vos causa destitutus) pugnare , nostramq; synceram confess-  
sionem ferire ihs consueuistis .

Deinde , quæ nam est ista tanta reliquas orbis Ecclesiæ dam-  
nandi necessitas , quæ vobis imposta est , ut cum iam per  
sexaginta annos & amplius , ab initio instaurata nostris tem-  
poribus Ecclesiæ , sine vestris condemnationibus antea vix-  
erimus : hoc demum tempore fuerit vobis necesse , nostam in-  
tempestiuè diro anathemate ferire ? Hannibal fortasse erat ,  
quod aiunt , ad portas : & in eo omnes Germaniæ opes erant  
sitæ : ut quod fristrà in Colloquio Vuormatiensi iam pridem  
rentatum fuit , & ab ipso vestro Ioanne Brentio (sive serio  
sive propter Philippi præsentia recusatum ) nonnulli homines ,  
id est , ex amplissima mundi regione ad summum septem , in om-  
nes Ecclesiæ pro libito animi hunc dominatum arriperent ,  
& sententias illas suas temerarias & condemnatorias ferrent .  
Sæpè iam dictum , nos nullas Ecclesiæ Christi , sed ves-  
tros detestandos errores damnare , qui non in libro Con-  
cordiæ modo , sed ab eo statim tempore , ex quo reformatæ  
Ecclesia ihs turbari coepit , à synceris Ministris & pijs Prin-  
cipibus iam ultra 50. annos condemnatis sunt , quorū censu-  
ram , vel hoc maximè tempore publico scripto repetere  
admodū necesse & tempestiuū fuit , quod nunquam magis  
Ecclesiæ & scholas Germaniæ puriores , qu'ām proximis  
annis infestarint , idq; perfida quorundam falsorum do-  
ctorū , qui vestrum venenū occulte spargere , eocq; studiosam

Sam iuuentutem inficere cœperant. Cum ergo de animarū salute, non opibus mundi ageretur, maturè & seuerè vestris emissarijs incendium Germaniae molientibus occurserunt. In quo necessario & salutari, minimeq; temerario negocio, nō septem tantum homines, sed multi Eleemosynæ, Principes & Theologi strenuè laborarunt, idq; singulari Dei beneficio feliciter perfecerunt. Quæ cum omnibus notissima sint, Danæum impudentissimum esse necessarie est, qui totū hoc opus, vt ei apud suos immortale odium conflet, septem hominibus, qui pro arbitrio dominatus hunc arripuerint, mendaciter adscribit. Conuētum deinde Vformationem peruersè, vt omnia, allegat. Quis enim ignorat, à Rege Ferdinando hunc ideo indictum fuisse, vt nostri cum Pontificijs de religione conferrent? non autem ut controversias in nostris Ecclesijs obortas dirimerent se stariosq; clamarent. Hoc enim nec huius loci, nec temporis praesentis erat. Idcirco Brentius vnà cū ceteris quibusdam, huic soli negocio, cuius causa conuenerant, aduigilandum, reliqua autem omnia, quæ illud remorari poterant, in peculiarem nostrorum conuentum rei scienda esse, recte & sapienter iudicauit.

Præterea, quæ tua, quæ so, ista est intemperies, qui cum nos tanquam hereticos, & fundamenta veræ fidei euertentes condemnas: negas tamen, si præterea à Pontificijs tanquam heretici affligamur, vos nostræ istius afflictionis eorumq; scœnitæ causam esse. Quasi qui sciens furioso gladium porrigit, non sit ipse eius cædis (quam furiosus postea perpetrat) & author & reus: Et quasi ob aliam causam Pontificij sese in nos fœnire præxant, quam in primis, quod in hoc ipso dogmate de cena Domini ab ipsis dissentiamus, quoniam corpus Christi locali, corporaliq; modo adesse negamus. Saltrem si idem diceres, quod Pappus iste tuus, nimirū dum propter huiusmodi condemnationes

174 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

vestras à Pontificijs vexamur & cremamur, esse quidem vos  
vestrasq; illas condemnationes causas nobis istarum calamita-  
tum, sed causas per accidens, non per se. Quod ita est aperte ri-  
diculum, ut ne refutatione quidem egeat.

Effrænatam & planè projectam in Danæo calumnias  
dic cupidinem esse, hoc etiam arguit, quod nobis Pontificiæ  
cruelitatis causam adscribere conatur. Quasi vero illi pro-  
pterea affligant vos, quia nos vestros errores damnamus: &  
nō multò magis, quia illi ipsi ab initio instauratae religionis,  
vos tanquam hæreticos, & ab Ecclesia Romana descisen-  
tes, igni & gladio addixerūt. Et quomodo nos illis porrigi-  
mus gladium, quem ante complures annos illi ipsi sumple-  
rūt, & sine discriminē in nostros & vestros crudeliter vñ-  
parunt? Quis igitur toto isto tempore, antequam concordie  
formula conscripta esset, tyrannidis ipsorum causa fuit? Quod  
si palam est, illos ex nostris cōdemnationibus sequiore fa-  
ctos non esse, an non stultitia vel potius malitia tua depræ-  
henditur, quod nostris totius Pontificiæ tyrannidis molem,  
sine causa imponere conaris? Possemus eadem ratione con-  
tra vos vti, homines videlicet nostros passim in Italia & Hi-  
spaña degentes, vestris condemnationibus Papistarū furori  
objici. At omnes rerum intelligentes nouerunt, hanc Pons-  
tificiæ cruelitatis causam non esse, sed quia Romanam be-  
stiam adorare, eiusq; placita accipere nolunt, idèo sœuiem  
eius ipsos experiri. Et si (quod scribis) non aliam ob cau-  
sam in vos sœuiunt Pontificij, quam in primis, quod in hoc  
dogmate de cœna Domini ab ipsis dissentitis, qua igitur  
malitia & summa leuitate animi, nobis culpam afflictionis  
vestræ tribuis? cum non propter nostras condemnationes,  
sed quia ab illis dissentitis, affligamini: & hac ipsa de causa  
nostros quoq; persecuantur, quia in hoc de cœna & alijs  
plurimis

plurimis capitibus, ab ipsis dissentunt. Pappo deinde iniuriam facit, quod dixerit, condemnationes nostras calamitas tamen vestrarum causas per accidens esse: sed haec in thesauri defensione Respondentis verba fuerunt, per accidens videlicet nostris condemnationibus eueniare, ut ijs Pontificij, non ad exercendam quidem, sed ad excusandam suam tyrannidem abutantur.

Quibus ipse Praeses addidit, Fallaciam esse non causæ ut causæ: non enim quia à nobis dissentiant, sed quia à Papatu Antipp. 74. descierint, cremenatur h̄, qui in Gallia & Belgio crematur. Et hisce quid verius? Iubet Spiritus sanctus doctrinā fānam auditoribus proponi, falsamq; redargui & damnari: cui praecepto parendum est, quodcunq; inde malum exterrit, Iudeo Apostoli contra Magistratus Ieroftolymitanū edictum, in nomine Christi prædicarunt, & falsam doctrinā Iudeorum accusarunt, nullo respectu habito discriminis, in quod se ipsos & Ecclesiam adducturi erāt.

Sed excipit Osiander, Paulum, dum Galatarum errores condemnaret, non timuisse, ne Iudeos, aut Ethnicos ad verè fideles persequēdos excitaret, aut sœuiores, truculentioresq; redderet. Ergo neq; id sibi, suisq; esse metuendū: sed statim, & intrepide Caluinianum, aut Cinglianum (quod vocat) dogma anathemate feriendum, & esse ejiciendum. Bona verba, mi Osiander, aliquid magis humanum abs te expectavi. Quid verò tu, vel tui cum condemnatione Galatarum, ac Corinthiorum à Paulo facta commune habetis? Paulus Apostolus manifestissimos Galatarum errores cōdemnauit: Nos autem ecquis ullorum errorū adhuc conuicit? Paulus condemnat ea ipsa, quæ cōmuni illa totius Ecclesiae Synodo Hierosolymis habitā iam dānatā fuerāt: vos illa dānatīs, quæ nulla legitima Synodus dānauit. Paulus ea cōdemnat, quæ ipsoſ Iudeos, & Ethnicos Pauli sententiā audiētes, erroris & blasphemiae suæ conuincēbant, atq; ynde ad ſequitiam in

176 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

in Orthodoxos excitari non poterant, quin eo magis ipsi se suos, errores condemnarent. *Vestra* verò in nos condemnatio maximum Pontificijs suorum errorum patrocinium afferit. Ea enim vera esse dicitur, ex quibus ipsum Papistica Idolatria (quæ signis ipsis, id est, pani & vino Cœna, à Papistis exhibetur) fundamentum confirmatur. Ergo eos & in errore confirmatis, & ad sequendum in nos, tanquam falsa de S. cœna sentientes, per vestras illas condemnationes inflammatis.

Hoc nobis Danæe, ut quæstionis tuae respondeatur, cū Paulo cōmune est: quod vt ille Galatarum & Corinthiorū manifestos errores damnauit: Ita nos Caluinismū manif esto verbi Dei repugnantem damnamus. Vtq; hæretici nunquam fatetur, se ullius erroris cōuictos esse: ita & vos. Deinde, Paulus non tantum condemnata, quæ paucorū ex Antiochia & Hierosolymis congregatorum, non aut communitorius Ecclesiæ (vt impudenter nigaris) Synodo, damnata iam fuerant: sed etiam alios errores, vt Phileti, Hymenæi & Corinthiorum, quos nulla adhuc Synodus iudicio suo improbarat: ita & nostri, vestros & aliorū errores, partim iam olim in Synodis damnatos (qualis est Nestorianismus vester) legitima censura verbi Dei in Synodis particularibus facta, reijcimus. Paulus, inquis, ea condemnat, quæ ipsos Iudæos & Ethnicos Pauli sententiam audientes erroris & blasphemiae suæ conuincebant: ita nos etiam Pontificios in hoc quidem capite vestros consortes & Symmachos, erroris & blasphemiae conuincūt: vnde ad sequitiam in vos per nostram condemnationem excitari non possunt. Quod verò ad cœnæ negocium attinet, manifesta hæc tua calumnia est, quod nostra in vos condemnatione, Pontificijs suorum errorum, & crudelitatis patrocinii afferamus:

ramus: siquidem omnes abusus & errores Pontificios in hoc articulo damnemus, quod plurima nostrorum contra Missam Pontificiam exquisita scripta, abunde testantur. Sed non minus error vester, quam illorum coarguendus est: quans doquidem ut illi substantiam symbolorum permanere negant: ita vos multo perniciosiori sacrilegio Ecclesiam Dei substantiam corporis & sanguinis Christi, certissimo pignore immortalitatis & salutis nostræ, spoliare conamini. Ideo utroque tanquam falsissima de S. coena sentientes condemnamus, nec illos in erroribus suis, quos omnes coarguimus & detestamur, vlla ratione confirmamus: multo minus ad saeviendum in vos inflammas, sed potius ad studium veritatis & amorem mansuetudinis sedulo eos cohortamur.

Porro quod excipis, Lutheranos potius, quam Zinglianos suppicio à Pontificijs & affici, & olim affectos fuisse, falleris turpissem.

Et hanc esse malitiosam verborum Osiandri depravationem, & quidem ita manifestam, ut nulla refutatione eges, at, hæc ipsius verba ostendunt: Quasi vero, inquit Osiander, Pontificij discrimen habeant Lutheranorum & Zuinglianorum, & Lutheranis parcant, solos vero Zuinglianos exurant, ijs locis, ubi illa immanis sauvitia & crudelitas plusquam Neroniana exercetur? Dic mihi Sturmi, cui Lutherano persecutores illi pepercierint, quod Lutheranus & non Zuingianus esset? Illi enim persecuntur & exurunt omnes, qui se Pontificis Romani impietati opponunt, quoque nomine appellantur, siue Zuinglianum dogma apud nos damnetur, siue non damnetur. Quare immrito illam Pontificiorum crudelitatem nostris condemnationibus imputas. Hæc ille. Ex hisce videre est, quam homo iste flagetaliorum recte dicta adulterandi & calumniandi cupiditate. Et quæ apertior calumnia esse potest, quam quod subiungit.

178 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

Nos rationes habere cum Pontificijs communes, de illa ab veritate nobis confita omnipotential quæ sapientia & veritati Dei repugnet ) de localitate vnius, & eiusdem corporis, eodem tempore pluribus in locis: de signorum ipsorum cena veneratione: de Iudaica & Capernaïtica tere quoniam tere, id est, horum verborum, Hoc est corpus meum, interpretatione, & alijs etiam plurimis capitibus. Ergo (inquit Danicus) vos cum illis summè in istis consentitis.

Primum aut nobis cum Papistarum omnipotentia, qua singūl externa symbola in substātiā corporis & sanguinis Christi transmutari, nihil commune est. Substantiam vero corporis & sanguinis Domini in cena iuxta promissionem adesse, & omnipotentia & sapientia & veritati diuinæ cōuenit: nec h̄c quicquam cōfictum, nisi ipsius veritatis verba figmentum dicere Satanico ore volueris. Deinde nos in localitate corporis vnius in pluribus locis, veneratione signorum cœnæ, Capernaïtica manducatione, & alijs plurimis capitibus veritati repugnantibus cum Pontificijs summe consentire, plusquam diabolicum mendacium est, quod non tantum omnia nostrotū, sed etiam ipsorum Pontificiorum scripta plenissimè refutant. Verum homini omnis pudoris experti confingere hæc libuit, vt nos auditoribus suis ceu Papistis colludentes, exoscos redderet. Denique ægre fert se suosque Zuuinglianorum & Caluinianorum nomine ntar. Sed vt recte Arrianos dicimus eos, qui Arrii impietas infecti sunt: ita quoque recte Zuuinglianos & Caluinistas appellamus, qui Zuuingli & Caluini portenta sectantur.

Sed hæc haclenus; quid autem ad quintum Sturmij argumentum responderet Osiander. Dixit Sturmius, vt vos vestri officij proprie frater: & Pappum in primis pro sui muneri*s iure*, id est, Rehorat

Horatu Argentinensis Scholæ moneret, ne quaque decere, ut  
 vos, qui Lutheri & Philippi discipuli videri vultis, condemne-  
 tis eos, cum quibus pientissimi doctissimiq; illi Praeceptores ve-  
 stri amicitia TOTO VITÆ TEMPORE sanctissime  
 coluerunt. Quid tu igitur ad tam seriam admonitionem Osian-  
 der? Nugas agis, ut soles, & nescio quos minutos Theologos  
 nobis commemoras, & eos etiam ipsos unum tantum aut alterum,  
 ut Amsdorffium & Schuenckfeldium, qui nostros viuo  
 Lutherò non dilexerunt. Sed agit Sturmius de Primarijs illis  
 Dei Opt. Max. instrumentis, de primis ipsis Ecclesiæ instaura-  
 toribus, de ipso M. Lutherò, de Philippo Melachthoni, de Mar-  
 tino Bucero, de Capitone (Deus immortalis, que lumina Mun-  
 di, quos viros nunc nomino) qui cum Cinglio, Oecolampadio, Bu-  
 llingero, Caluino animis CONIVNC TISSIMI AD EX-  
 TREMVM VSQVE VITAE DIEM vixerunt. Id  
 quod ex ipsis tum publicis, tum etiam priuatissimis scriptis ap-  
 paret. Hoc tu negare non potes, & si negaueris, ipsa te veritas  
 palam redarguet. Sed vide quo tandem, Osiander, delaberis, &  
 quid quantumq; tibi assumas, ut Buceri & Philippi doctrinam  
 aperte condennes, atque hac scribere audeas. Utinam Philip-  
 pus & Bucerus rectius crediderint, quam posteriora ipsis  
 vel scripta vel facta testantur. Evidenter, ut iam video nequa-  
 quam frustra, neque sine certissimo vitæ sua periculo Philippus  
 ille iam senex roties ad Caluinum amicosq; suos Orthodoxos in  
 extrema illa atate sua scriptis. Et si propter senectā à meta  
 huius curriculi non procul absum, tamen quotidie noua  
 exilia expecto. Vel n. ex una ista Philippi condēnatione facta  
 à te Luca Osiandro apparuit, quis fuerit in illud verissimum Ger-  
 maniae totius lumen, vestra cetera, & animus, & conatus, nisi  
 Dominus eum mature vestro furori, & minis opportuna  
 morte subduxisset. At vero addis nos à Ioanne Brentio esse

180 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

antea condemnatos. Nimirum postquam ambitione & πλειστα  
fascinatus Brentius, ne se ipsum quidem amplius ferebat: Et  
postquam Syngamma Sueicum (cuius ipse fuerat author) eti-  
am ab ipso Luthero approbatum, summa animi levitate, & in-  
constantia damnabat. Ego vero ab isto postremo delirante, ac  
furioso Brentio, ad primum ipsum, sedatumq[ue] Brentium prouo-  
co: Ex cuius & Caluini literis vlerò ceteroq[ue] scriptis apparet,  
eum cum Caluino sanctè amicitiam, pacemq[ue], quandiu seipsum  
ferre potuit, coluisse. Quod si qua intolerabilis ambitio eum se-  
nem postea transuersum egit, quis in illo facto nimium opulento,  
& nihil aliud, quam primatum post Philippi mortem in Ger-  
manicis Ecclesijs, affectante, miretur accidisse quod habet pro-  
uerbium *vetus, yepotes dicitur παλις*. Quale enim tandem fue-  
rit senis Brentij ingenium, & à vera humanitate alienum, vel  
ynicum illius testamentum semper testatur. Nam ne non sem-  
per esset in Germania satis bellorum, & dissidiorum, que vi-  
uus seminare inceperat, etiam morientem eum non puduit infæ-  
lix illud clasicum canere, quo postea ad dirissima hæc certami-  
na excitata sunt Germanicæ penè omnes Ecclesiæ. Ergo aut  
alios, qui nostros Pastores oderint, damnarintq[ue], recense Osian-  
der: aut si Brentium istum nobis commemoras, da mihi eum  
ipsum sibi constantem.

Quintum hoc Sturmij argumentum, quia per se ade-  
modum infirmum est, & modo noua auctione mendacio-  
rum a Danæo ita grauatum, ut sua mole concidat, nec  
opus sit multum operæ in eo euertendo perdere: Ideo  
breuiter tantum de ihs, quæ Danæus impudenti ore euo-  
muit, monebo. Et primum quidem non tam decet  
quam summè necessarium est, vt quorūuis errores siue  
amici, siue fratres, siue præceptores sint condemnati  
mus.

mus. Qui enim amauerit patrem aut matrem (nedum  
 amicum) supra me, inquit Christus, non est me dignus. Matth 10.  
 Et Deuteronom. 13. præcipit Deus: *Si tibi voluerit suadere  
 frater tuus, filius matris tuae, aut filius tuus, aut filia tua, siue  
 uxor quæ es in sinu tuo, vel amicus tuus, qui sit sicut anima  
 tua, clam dicens, eamus & seruiamus Dijs alienis (quorum no-  
 mine etiam falsa doctrina & omnes errores continentur) non  
 acquiescas illi, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, ut mis-  
 rearis & occutes eum: sed occidendo occides eum, &c. Quam-  
 vis vero nos tam severa executione legis Mosaicæ non  
 teneamur: hoc tamen generale constringit nos, ut ne  
 parcamus falsa docentibus, quia amici vel cognati sunt,  
 sed statim eos redarguamus, & si resipiscere nolint, con-  
 demnemus. Deinde Lutherum quoque & Philippum cum  
 Zuinglio, Oecolampadio, Bullingero, & Caluino, T O T O V I-  
 T A E T E M P O R E amicitiam sanctissimè coluisse, & animis  
 coniunctissimos ad extremum usque vitæ diem vixisse, manifes-  
 stissimum, impudentissimum, putidissimum, & Calu-  
 nianum mendacium est. Quanto enim zelo Lutherus  
 sanctæ memoriae, duces factionis vestrae à tempore excis-  
 tati a vobis Schismatis, ad extremum usque vitæ diem  
 auersatus sit, nec unquam amicitiam cum antesignanis  
 illis coluerit, plurima ipsius monumenta & ipsa quoque  
 scripta tuorum testantur. Adhæc manifesti mendacijs con-  
 vincunt te Acta Colloquiij Marpurgensis, in quo cum  
 pro fratribus agnisci & haberis Zuinglius & Oecolam-  
 padius peterent, à Luthero grauiter reprehensi & repulsi  
 sunt. Quod si forte Caluinum salutavit, eo tempore illud  
 factum est, quo adhuc Augustanæ Confessionis socius  
 haberi voluit. De Philippo constat, quod cum in Comis-  
 ijs Augustanis Princeps Landgravius maximo stu-*

182 *Responsio pro Antisturmio D. D.*  
dio nostris societatem cum Zuinglianis persuadere vellet,  
ipsum & Brentium causis grauiissimis allatis, petitionem  
hanc constanter negasse. Et quidem adhuc 41. anno op-  
tionem vestram de coena in Comitijs Ratisponensibus  
improbauit, vt videre est in Epistola ipsius ad Electorem  
Palatinum, quam D. Pappus defensionib. suis cōtra Stur-  
mum inseruit. Quomodo ergo Philippus toto vitæ suæ  
tempore amicitiam cum vestris sanctissimè coluit, & aniz-  
mo coniunctissimus cum illis vixit? Cum illos in societas  
tem recipere noluerit, & plurimis annis deliria vestra im-  
probārit? Si vero postremis annis se vestris addixit, quo-  
rum Confessionem prius damnauerat semper, & quidem  
vestram nunquam in Scholis, aperte probauerat, huma-  
num quid illi accidisse putandum est. De Bucero & Ca-  
pitone nihil libet dicere, quos præpostero quodam pacis  
conciliandæ studio vtricq; parti fauisse, Epistolæ ipsorum  
testantur. Et hos Osiander neutiquam condemnat, vt nec  
Philippum, omnemq; doctrinam eius: sed ipsos iudicio  
Dei relinquit, quos in hoc de coena Articulo, apertiores  
fauisse optandum esset. De Bucero certum est, illum in  
Epistola ad Comandrum Ecclesiæ Curiensis pastorem,  
grauissimè conquestum esse, de perfidia et iniurijs Zuing-  
lianorum: & quidem nominatim Bullingerum leuiratis,  
inconstantiæ, ambitionis, criminacionum, & aliorum vis-  
tiorum accusasse. Hoc an sit amicitiam sanctissimè colere  
& animis coniunctissimis ad extremum usque diem vi-  
uere, lectori iudicandum relinquo. De periculo Philippi  
quod virulenter subnectis, nunquam adhuc compertum  
est, quenquam apud nostros, religionis causa, in vitæ  
periculum incurrisse. Sed iudicas, vt video, nostros  
extuo & tuorum ingenio, quibus hoc cum Pontificis  
com-

commune est , vt Spiritu mendaci , & sanguinario agitentur . Quod si Philippus tenax fuit sanæ doctrinæ , quam in Conuentibus Imperij & multis Colloquijs publice professus est : non fuit quod à nostris quicquam mesueret . Sin vero vobiscum à veritate defecit , non sine causa meticulosus fuit : non quod quisquam nostrum ei malum minatus , vel ille exilia perpessus sit vñquam : sed quod diuinum iudicium & conscientia malefactorum inquietarent . Amsdorffij vel Schuenckfeldij Osiander mentionem planè nullam facit , vt manifestū sit Spiritu vertiginis te duci , quod ei obijcere hos , tanquam ab ipso commemoratos , audes . Denique Brentium de Ecclesia Christi post Dominum Lutherum optimè meritum & omnibus virtutibus clarissimum , furij infernalibus agitatus , iniquissimè ambitionis , inconstantie , leuitatis , delirij , furoris , inhumanitatis nomine traducis : causam dissidiorum & certaminum in Germania ei tribuis : nec non canino ore diuitias ei obijcis & inuides . Quām vero ab omni ambitione alienissimus , gratissima omnibus bonis humilitate ac summa humanitate vir diuinus ad extremum usque vitæ dicem præditus fuit , nouerunt omnes quibus notus fuit . Et ubi vel quando aut cur Syngamma Sueicum damnauit Brentius ? in quo Oecolampadij & Zuinglij errorem grauissime confutauit ? Sed homo leuissimus fidem suis verbis ut faciat ne cogitat quidem , satis esse putans , mendacij onerasse & audacter calumniatum esse innocentem . Ad hæc Dominum Brentium in sua senecta , nec delirum nec furiosum fuisse , diuinum istud opus in Psalmos , quod antequam planè perfecisset rebus humanis exceptus est , testatur . Quid vero dicam de ipsius constanza ?

184 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

tia? Qui sanam doctrinam de cœna & alijs capitibus Religionis syncerae ex sacra Scriptura in iuuenili ætate semel haustam, ad extreum usque Spiritum voce & scriptis fortissime defendit. Amicitiam cum Caluino tam diu coluit, quam diu hic falsus frater esse, hoc est, suum virū occultare potuit, nec hostis manifestus Orthodoxam doctrinam nostram oppugnare, suoq[ue] veneno defendere & inficere cœpit. Quo facto, noster Brentius nihil mutatus causam veritatis contra phantasticos Spiritus constantissime egit, nec ullum in eo primum affectauit: sed Christo veritatis, sapientiae & omnipotentiae honorem, quem vos enormi audacia conculcatis, conseruare studuit. Ideoq[ue] tanquam seruus fidelissimus, qui etiam vxorem, liberos, & omnes fortunas suas Domini sui causa relinquere non dubitauit, mercedem accepit, non quidem diuitias amplas, sed tamen eas honestas, ut semen ipsius panem quaerere non necesse habeat. Senectutem quoque longam, & tam corpore quam mente vegetam adeptus est. Tandem vero morte placidissima ærumnosam hanc vitam cum beata permutauit. Et quoniam in viuis adhuc existentem, contra mentem & voluntatem suam vestram sectæ consortem facere voluistis, ipse impudentiae huius vestram memor, Testamento suspicionem hanc omnem à se amoliri voluit, in quo heroico zelo vestrum errorem damnauit, & toti Ecclesiæ testatum reliquit, sibi cum Zwinglii somnijs & portentis nihil unquam commune fuisse, sed semper ab illis toto pectore abhorruisse. Et sicut in vita nullius dissidiij vel belli causa fuit; ita Testamento suo nullum certamen in Eccles.

Ecclesijs Germaniæ excitauit, sed eas in vera Religione & sincera pace, ne vllum dissidio Sacramentario locum darent, confirmauit. At monstra illa hominum, quæ vos im- purissimè doctrinæ vestra enixi estis, nobis certamina illa dederunt, quæ nunc beneficio Dei per Lutheri & Brentij doctrinam restincta sunt, ut etiam mortui sed in Domino & scriptis suis viuentes, pestiferæ doctrinæ vestræ exitio sint.

Sexto autem & postremo loco Sturmius proposuit Ubiquitarijs (ut eos ad pacem & concordiam nobiscum ineundam cohortaretur.)

Illustriſimorum Germaniæ Principum plenum summæ pietatis & charitatis exemplum, qui pro nostris Ecclesijs, dum crudelissimè à Pontificijs affligebantur, ipso etiam Brentio & Iacobuſ Andrea nominatim postulantibus apud Regem Galliæ ſepiſimè intercesserunt. In quo manifestè demonstrarunt, se neq; nostram doctrinam damnasse, neq; pro ſua in Chriſtum pietate affernari noſtras Ecclesijs voluisse. Quid ad iſta Oſiander? Negat Illuſtriſ. illos Principes pro Cinglianis intercedere ſe exiſtimasse, ſed pro Lutheranis. Quaſi verò antequam auxilium & patrocinium apud Regem Galliarum ab Illuſtriſ. Principibus profe postularent noſtræ Eccleſiæ, non iſdem obtulerint, planam & perſpicuam ſuę fidei cum in alijs articulis, tum in illo, qui eſt de S. Domini cæna, confeſſionem: quaſ etiā ea eſſet, quæ ſemper fuit, & nunc eſt, & in præſentiæ corporis Chriſti modo à vestrā diſſentiret, hoc tamen diſſidium tantuſi eſſe momenti non iudicarunt, quin pro noſtrarum Eccleſiarum ſalute intercederent. Viſ etiam aliiquid amplius dicam, quo tempore Ferdinandus electus eſt Francfurti Imperator, postulantibus Eccleſiarum Gallicarum legatis pacificam de hiſ controuerſijs collationem, non modò Illuſtriſimi tres Principes Eletores: ſed etiam aliquot alij Germaniæ Principes promiserunt: tantuſ abſuit, ut confiſium, quod de nobis in dicta cauſa dammandis vos

186 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

nouitijs cepisti, illi approbarent. Quod si qui sunt iam à nobis nostra certè nulla culpa, alienari, quis istud tribunitij vestris clamoribus, & assiduis vociferationibus, factum ignorat? Nos enim ab eo tempore ne tantillum quidem à priore sententia desciuisse, & confessiones publicæ & priuata doctorum nostrorum scripta palam omnia testantur. Atq[ue] hoc ad primam libri sui partem responsum nostrum habero.

Principio appetet hic Calvinistarum æquitas, ut cum illi nihil minus quam pacem & Concordiam colere possint, sed ex dissidijs, certaminibus, & mendacijs vivere videantur: tamen nos ad Concordiam cohortari audeant, & quidem ihs in scriptis, in quibus summa verborum virulentia & acerbitate nostros insectantur. Quid enim virulentius in nostros Teologos Antipappis Sturmij, in quibus tamen leges charitatis & Concordiae dictare nobis præsumit? Deinde singulare hoc pietatis officium fuit, Illusterrimos Germania Princes pro afflictis Ecclesijs Galliæ, apud Regem aliquoties intercessisse: sed eo ipsos demonstrare voluisse, se non damniare doctrinam vestram, ex vanitatibus tuis haud postrema est. Nam illi ipsi Princes eodem tempore Calvinismum finibus suis tanquam pestem nocentissimam depulerunt. Illusterrimus Dux Virtembergicus Christophorus (quem in exiles munificentissimum & sincera religionis amantissimum, honoris causa nomino) exilibus Galli ex commiseratione sexcentos florenos donauit: sed illis diserte indicare iussit, se hoc ipsorum paupertati, non autem religioni dare. Eodem modo reliqui Princes laniena Galliæ moti, opitulari vestris voluerunt: cōmenta vero vestra vt probarint vñquā, Danæa veritas est. Et quis hic tuus Osianderi verba depravādi furor? Quasi is neget, Illusterrimos Princes pro Zwinglianis intercedere se existimasse. An vero

verò omnes amentes iudicas, vt hæc Osiandri non intelligant, vbi scribit: *Miseri sunt illi Lutheranorum, & eorum etiam,* Rag. 20.  
*qui in negocio cœnæ non rectè instituti fuerant, sed ex mera simplicitate errabant: hos tanquam oves innocentes, tam crudeliter macilari solebant.* Quomodo Danæe hæc cum tua vanitate conueniunt? Non ignorabant Principes nostri, confessionem Ecclesiarum vestrarum haud synceram esse, quo nomine etiam magis condolebant illis, quod & doctrinā falsā a vobis fascinarentur, & simul immanitatem hostium experirentur.

Quæ de compromisso Electorum & aliorum Principum Germaniæ legatis Ecclesiarum Gallicarum facto scribis, cùm de eo in Germania nihil auditum sit nostris, confessæ esse tam diu censemuntur, donec ex actis publicis veritatem eius comprobaueris. Verum hoc interim scias, Illusterrissimos Principes nostros, iam olim & nunc etiam a vobis Calvinistis alienissimos fuisse & esse, non aliam ob causam, quam quia Sacraenta exinanierunt, articulos fiduciæ depravauistis, & synceram doctrinam adulterastis. Et quia admonitionem planè nullam admittitis, idèo vitandos vos esse, & cum erroribus vestris damnandos iudicarunt. Sed hic vel tandem post infinita Φευδογραφία τα veri quid, non tamen sine dedecore vestro, dicere te contigit, *Vos nimur ab eo tempore ne tantillum quidem à priori sententia desciuisse,* hoc est, in vestra erronea sententia obstinatissimos permansisse: nisi forte Pauli illud in vobis complementum acceperit: *Mali homines & impostores proficien in peius,* 2. Tim. 3.  
*dum & in errorem adducunt, & errant ipsi.* Nam multi vestrum hactenus in Arrianismum & Mahometismum prosequuntur. Et hæc de responso tuo ad primam libelli Osiandrici partem, boni consule.

188. *Responsio pro Antisturmio D.D.*  
**SECUNDA LI-**  
**BELLIDANÆI**  
P A R S.

**E**RGO ad secundum, & ultimum huius disputationis Osianderum caput, mea festinat oratio, ubi totus est Osiander in eo, ut nostrum dogma doceat, & falsam, & damnandum esse probet. In quo certè eò breuior sum futurus, quod nihil nouum afferat, cui iam pridē non sit millies abundè à nostris responsum, & quod aliunde non descripscerit, & millies à nostris non sit refutatum. Selneccerum & Chemnitium non nominabo. Ipsi enim illa omnia tua, tanquam sua, optimo iure abs te repent. Sed quoniam ut inquit Hieronymus: Qui arguitur in pluribus, & in dilatione conuictum aliquod prætermittit, quicquid tacuerit, conficeri videtur. Idcirco etiā ad hanc tui libelli partē, Osiander, respōdebo.

Partē secundā, quia ita tibi libet, percurriemus breuius, nō tantum quod tēpus tuis nūgis diluendis perdere iam dum tæderit, sed etiā quod pleraq[ue] supr'a attigerim: & tu quoque nihil noui pro dogmatis tui defensione afferre potueris, sed eadē cum tuis chorda oberrans, veterē cantilenā repetas, quae iam pridē à nostris, tanquam Maiestatē Christi Salvatoris blasphemans verbo Dei disjecta, concisa, & exterminata est. Et vos quidem nostra ex scripturis allata sēpius confutare attentastis; sed veritas quae vna & simplex est, huc usq[ue] aperte ostendit manet. Nec sua Osiander ex alio quoquam, nisi solo verbo Dei desumpsit, huius propria sunt, hoc solo nituntur, fundantur, & confirmantur, ut omnes etiam strophæ, sophismata, & argutiæ vestræ nihil aduersus confessionem nostram, quia super fundamentum Prophetarum & Apostolorum ædificata est, valeant.

Affert

# Osiandri, contra Lamb. Danæum. 189

Affert igitur in vniuersum argumenta oculo Osiander, sed anquam refutentur, constare primum oportet quid de S. cœna ipse sentiamus. Docemus igitur ipsam carnem & sanguinē Domini nostri Iesu Christi corporalis præsentia situ à signis absentem, & non in terris positam, sed in cœlis residentem, tamen reuera dari ac communicari singulis in cœna Domini pane, & vino ex fide rescentibus.

Hæc est confessio minimè aperta, sed Calviniana, hoc est, lubrica, intricata, ambigua, fallax, vt ex ea lectori constare nullo modo possit, quid de cœna S. sentiatis. Fateris enim ipsam carnem & sanguinem corporalis præsentia situ, hoc est, substantiam horum à terris absentem in cœlis contineri: & tamen reuera in coena, quæ in terris celebraztur, fide sumentibus dari. An non hoc ex eodem ore calidum & frigidum efflare est? Sic Danæ non solet Spiritus veritatis ludere & præstigias agere, vt quid dicat, nemo intelligat: sed Spiritus mendacij & vertiginis ingenium hoc est.

Contra tam apertam Ecclesiæ nostrarum doctrinam quid obijicit Osiander? Hoc nostrum dogma, verbis Testamenti Christi repugnare: haec enim verba Christi inquit, *Hoc est corpus meum*, dicuntur de distributione panis & vini in cœna Domini. Ergo qui verum ipsum, & esse esse esse negant, vel cum signis S. Cœna corporali præsentia coniunctū esse non concedunt, verbis Testamenti Christi repugnant.

Antequam refutationem aggrediar, monendus est lector, Danæum de industria septem priora argumenta Osiandri, que nihil de omnipræsentia Christi agunt, ad eius doctrinam malitiosè detorquere, vt hac ratione illa deprauet, obscuret, & deformet, quo lectori inepta, insulsa & deformia appareant. At mens Osiandri non est, omnipræsentis

## 190 *Responsio pro Antisturmio D. D.*

am Christi hominis tantum, sed etiam alias doctrinæ Christianæ partes contra Calvinistas asserere. Quod ut omnibus pateat, & Danæus quasi certis limitibus circumscribatur, quos ipsi in respondendo egredi non liceat: formam quoque habeat, argumenta aliorum bona fide recitandi: Osiandri rationes, quibus impietatem Calviniani dogmatis ostendit, Dialectice & nude proponam.

Primum  
argumen-  
tum Osiandri

Antios.  
pag. 28.

1.Ioan. 5.

Primum autem argumentum Osiandri, geminum est, sed in idem recidens. Quorum prius sic habet: Dogma verbis Testamenti Christi repugnans, damnandum est. Christianum dogma verbis Testamenti Christi repugnat, quia Hic de distributione panis & vini in S. cœna diserte dixit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: Hic est sanguis meus, qui pro multis effunditur.* Zwingiani autem dicunt, Hoc non est corpus Christi, quod pro nobis traditum est, Hic calix non est sanguis Christi, qui pro nobis effusus est, sed eius virtus, spiritus, efficacitas. Ipsum enim corpus & sanguis Christi tanto locorum intervallo à S. cœna abest, quantum summum cœlum à terra distat. Ergo Zwingianum dogma damnandum est. Alterum est: Dogma quod Deum mendacijs arguit, damnandum est. Calvinianum dogma Deum mendacijs arguit. Quicunq; enim non credit Deo, mendacem facit eum. Zwingiani suo dogmate non credunt Deo, quia negant corpus Christi, quod pro nobis traditum est, in cœna S. dari, sed tantum eius spiritum, virtutem, &c. Ergo mendacem faciunt Deum, & per consequētum suo dogmate damnandi sunt. Ex hisce videre est, quām tu Argumentum Osiandri malitiosè deprauaris, vt eius genuina forma non appareat. Nec etiam responsum tuum omni ex parte ad illud conformasti, vt ne veritatis honorem

honorem Christo dare, tuumq; errorem fateri cogereris: Idcirco quasi leuiter tantum illud attingens, transis ad alia, quorum Osiander in hoc arguento non meminerat: fas cilius esse ratus propria additamenta conuellere, quam veritatem argumenti confutare. Sed videamus quid responderem tibi libuerit.

Hoc ipsum ( inquis ) eadem facilitate negatur, qua ab isto affirmatur: licet hic, tanquam de parta victoria iuueniliter tamen exultet Osiander.

Quid negas Danæ? Responde categorice ad syllogismum, quem tibi rationibus munitum proposui, ut omnibus pateat, vtra pars merito de parta victoria exultet.

Nam aut postulant isti, vt sibi tanquam suo Pythagoræ discipuli credamus: aut ipsos oportuit docere ex ipso Dei verbo rectè colligi quod afferunt.

Verbis Christi quæ planissima sunt, vt fidem habeatis postulamus: & hoc quod afferimus, rectissime ex illis colligimus rationibus scripture docui.

Concedimus enim dici, de distributione panis & vini, Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus: Imò verò etiam de pane & vino ipso Sacramento illa verba intelligi fatemur. Sed Sacramentaliter. Ergo ipsum, & verum Christi corpus, signis nimis panis & vino S. cœna, unione sacramentali ( quæ & evagyrata & & retinu, & passionalis tantum est ) præsens adest: corporali verò præsentiae situ ab iisdem signis idem esse Christi corpus abest. Quare cum Vbiique præsentiam corporis Christi, aut corporalem præsentia eius modum cum signis ipsis negamus, neque Christum à sua cœna absentem facimus, neque Deum mendacem, sed terribilem, suiq; promisi, qua ratione dare promisit, tenacem, & prabitorem fidelissimum.

Danaeus

192 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

Danæus ne plan'e Paganus & Ethnicus videatur, literas & syllabas verborum Christi concedit: sed rem his verbis significatam simpliciter negat. Et cum non sola panis & vini Symbola, sed hisce corpus & sanguis Christi coniuncta (ut supra ex scriptura & patribus ostendi) Sacramentum coenæ constituant: ipse tamen panem & vinum Sacramentum ipsum appellat, de quibus Sacramentaliter corpus & sanguis Christi prædicentur. Sed cur non probas, Danæ, ex verbis Testamenti Christi, corpus & sanguinem Domini ἐνεργητική & θετική tantum, non autem corporali, hoc est, substanciali præsentia, coenæ Dominicæ adesse? Quod si Allobrogestuis præstigijs ita dementasti, ut tibi etiam similitudine ratione quidvis affirmanti credant: scias tua crebra figura scripturæ, quibus imperitos decipere conaris, efficere, ut hic Pythagoricum istud, αὐτὸς ἐφεξ, locum habere non possit, nec nobis satisfaciat Collectio hæc: Danæus dixit. Ergo est verum. τὸ δέξιον ex verbo Dei postulamus. Nam verba institutionis corporalem præsentiam apertissimè nobis larguntur. De ἐνεργητική verò & θετική vnione, hoc est, quod tantum virtus & efficacia corporis & sanguinis Christi, non autem ipsa substancialia coenæ sacræ adsit, nihil profus, loquuntur. Quare palam est, Caluinianos Christum secundum humanitatem à coena sua absentem, simulq; mendacē & impotentem facere, ut quod de corpore & sanguine suo in coena promisit, nobis præstare non possit.

Basil.lib.2 *Et quod iste ἡγιονώντι, clamitat se verbis ipsis Christi inherere:*  
cont. Eu-  
nom. *faltem ex Basilio intelligat, ότι ερ Φόφος αέρθε, ἀλλα επ τῇ*  
Hilar.lib.2 *διωχμει συμπλεομένω τὸ ἔνορες ἔναι. Sensus enim non sermofite*  
Trinit. *crimen, ait Hilarius. Quemadmodum etiam aiunt ipsi Juris-*  
*consulit.*

# Osiandri, contra Lamb. Danæum. 193

consulti: Scire leges non est earum verba tenere, sed vim & mentem. Augustinus autem lib. 3. de Doctrina Christian. cap. 16. docet, hæc verba Christi figuratae, non autem naturaliter ( ut in scholis loquuntur ) accipienda esse, si præceptua locutio est, aut flagitium, aut facinus vetans: aut uilitatem, aut beneficentiam iubens, non est figurata. Si autem flagitium, aut facinus uidetur iubere: aut uilitatem, aut beneficentiam vetare: figurata est. Nisi manduaueritis carnem filii hominis, & bibitis eius sanguinem, non habebitis vitam in uo<sup>is</sup>, facinus vel flagitium uidetur iubere, figura est ergo, &c. Ergo istas locutiones, Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus, non natura<sup>r</sup>ō p̄ntōp̄: sed natura diabolice patres Orthodoxi, & vi & nos, intellexerunt, contrā quām Ubiquitarij sentiunt, & h̄c obijcit Osiander. Deinde plus colligit in conclusione, quām in antecedente ponatur. Aliud enim est in cœna, quām ubiq<sup>u</sup> adesse, cum neque quis tempore, neq<sup>ue</sup> quouis loco S. Domini cœna celebretur, quod vel ipsi P<sup>ap</sup>istæ verum esse facile concesserint.

Quamvis verum sit, nos verbis Christi firmiter insister, nec alienas eorum interpretationes admittere, quod versus sint ultimæ dispositionis, quæ non figuratis, sed proprijs & planis verbis exprimi solent: tamen Osiander de eo h̄c verbum nullum facit, sed Danaeus occasionem hanc consinxit, nostram sententiā oppugnandi. Verum quām belle, ponderemus. Et principiō quidem, dictum Basilij de verbis Eunomij hæretici prolatum, ad hanc controuersiā peruersè & impie transferens, ostendit, quām contemptū de verbis Testamenti Christi sentiat. An enim tu nobis ex Christo impostorem facies, qui more hæreticorum aliud ore sonet, & aliud corde sentiat? Et unde quæso δύναμις ομοιωνόμενη, & sensus Testamenti Christi certius colligi potest, quām

B b ex eius

194 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

ex eiusdem verbis? Verba enim symbola sunt rerum significaturum, & indicia eorum, quae in mente gerimus, ut sine his sensum & mentem hominis intelligere nequeamus. Ideo Basilius ἐμ̄ ρ̄οντηος πιε & grauter scribit, εἰ δὲ διαμηνεσθαι, καὶ δισάζει τὸν επί τοι, ὑπὸ τὸν κυρίον λεγομένοις, ἀλλὰ πεπληρωθεῖσι πάρ τινα διδούσι αλλοῖς ἀνατομήσαι, καὶ δινεκτόρ, καὶ φύσις μάχηται, ἐνταῦθα γάρ καὶ σαγών τοῖς πιστοῖς. Nec nos verba tantum institutionis cœnæ, sed eorum quoq; vim & mentem, quam ipsa clarissime exprimunt, tenemus. Et in hoc Iurisconsultos, quos tu subinde inuitos etiam tuam sententiam pertrahere conaris, sequimur, qui trahunt: Non esse recedendum à verbis testatoris, quia talis presumatur fuisse intentio, qualem verborum proprietas importat. Et, non esse credendum testatorem id velle, quod non dixit. Ad hoc enim sermonem nobis datum esse, ut praestō fiant voluntatis iudicia. Vos autem vim verborum Christi non teneris, sed vestram imaginariam & incertam de ijs opinionem sequimini. Vbi vel Iurisconsulti tui docere te possent, Quod in dubijs tutius sit non recedere à verbis, sed illis tenaciter inhærere, sine extranea interpretatione. Et Christus inquit: Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Quid vero ad rem, Augustinum de verbis Christi Ioan. 6. inepte proferre? Nam & nos illa figurata eo q; sensu accipimus, quem ipse Christus ibidem tradidit. Sed tu locum istum Ioannis perperam de cœna Domini exponi supr'a ex Caluino docuisti. Et ipse Augustinus de Sacramentali, sed Capernaïtica mandatione, quam nostri semper reiecerunt, loquitur. Verum non de loco Ioan. 6. sed de verbis cœnæ hic quæstio est, quæ licet Spiritus sanctus quater repetierit, non tamen alium eis sensu

sum, quām quem ipsa important, affinxit. Quæ igitur hæc  
vestra temeritas est, à verbis Testamenti recederes? Nobisqe  
aliam eorum mentem, quam scriptura ignorat, obtrudere  
velle? Ex quibus etiam liquet, quām sit collectio hæc Das-  
næi puerilis & ridicula.

Augustinus verba Christi Ioan. 6. cap. figuratè accipienda esse  
docuit. Ergo ista S. cœna verba, Hoc es corpus meum: Hic  
est sanguis meus, non natà τὸ ἔντομ, sed natà διάνοια μ̄ patres  
Orthodoxi, ut & nos intellexerunt, contrà quām Vbiquitarij  
sentiunt, & obiicit Osiander.

Scopas, hæc, dissolutas esse, nec vlla connexione vel  
probatione cohærere, quiuis intelligit, vt hominis vertigi-  
nem pluribus exagitare opus non sit. Supr'a autem pluris  
mis testimonij antiquitatis ostendi, patres Orthodoxos  
verba cœnæ natà τὸ ἔντομ, de substantiali corpore & san-  
guine Christi, contrà quam Culuiniani sentiunt, intellige-  
re: Eo nunc lectorem remitto. Deniqe conclusio quam pag.  
87. posuisti, non Osiandri, sed tuum additamentum est. Idz  
circo repræhensio eius, non nos, sed tuam ipsius vel inscis-  
tiam vel malitiam coarguit.

Ecclesiarum Helueticarum dogma adimit Christo omnipotenti- Secundū  
am, nam qui negat esse impossibile Deo efficere, ut verum corpus Argumen-  
tum, simul sit in pluribus locis, adimit illi omnipotentiam. Hoc illi tum Osiandri,  
affirmant. Ergo. &c.

Helueticarum Ecclesiarum Osiander mentionem  
nullam facit, sed dogmatis Zwingiani, quod non tantum  
Helueticis Ecclesijs, sed alijs quoqe plurimis à male feriatis  
hominibus obtrulsum est. Danæus vero in titulo & alias  
sepe illarum meminit, vt eas odijs contra Osiandrum in-  
flammaret, tanquam ab ipso præ reliquis damnatae sint. At O-  
siandro nec ipsas, nec alias totas Ecclesias damnare mens est,

196 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

sed impurum Zwingli & Caluini dogma, & monere ille  
las, vt sibi ab illo diligenter caueant. Argumentum vero  
ipsius secundum tale est.

Dogma quod primo fidei nostræ Christianæ articulo recla-  
mat, & Deo omnipotentiam adimit, damnandum est. Zwing-  
lianum dogma Christo omnipotentiam adimit. Affirmat enim  
Petrus Martyr in Dialogo Orotetæ inscripto, Beza quoq; & alij  
Zwingiani dogmatis propugnatores, Deo impossibile esse effice-  
re, vt verum corpus simul in pluribus locis sit. Sin Deus efficere  
hoc non potest, nec omnipotens erit. Huic Danaus antequam  
respondeat, tale argumentum opponit.

Qui committit Dei sapientiam ac veritatem cum ipsis omnipo-  
tentia, & neque Deum omnipotentem facit, neque sapientem, ne-  
que verum. At Ubiquitarij eam cum Dei veritate & sapien-  
tia apertissime in certamen vocant. Ergo Ubiquitarij Deum  
neque omnipotentem, neq; veracem agnoscunt. Volunt enim, vt  
quod Christus verus homo dicitur, & sumpsisse naturam in omni-  
bus nostris, excepto peccato, similem, illud non sit verum: sed vt  
corpus planè alterius generis assumperit, quam vnum corpus  
sit, vñquam ue fuerit, id est, quod neque περιγέωσθαι posse, neq;  
co, aut Vbi vlla comprehendatur.

Hanc esse manifestam calumniam, omnia nostrorum  
scripta testantur: quæ docent, Christum puerum naturale,  
& nostris planè simile, dempto peccato, corpus assum-  
psisse: sed illud, quia Dei corpus est, & cum Λόγῳ per-  
sonaliter vnitum, ad dextram quoque Dei collocatum,  
ideo scripturam ei multas prærogatiwas ὑπερφυσικas tri-  
buere, quæ natura humani corporis longe transcendent, nec  
ramen eius substantiam euertant, sed potius summo gradu  
perficiant. Et hac doctrina, attributa Dei non committimus  
nec et.

nec ei quicquam auferimus, sed eorum gratissimam harmoniam, qua in nostra salute perficienda conueniunt, ostendimus. Quia enim Christus sapientissimus est, idcirco eiusmz cilie fuit inuenire medium, quo nos propter peccatum misereros ad vitam immortalem nutriri et aleret, corpore nimirum & sanguine suo. Idem verax quia est, id est quod promisit in verbis testamenti, praestare quoque vult. Ut vero id possit, omnipotentia, cui verbum nullum impossibile est, subuenit. Vides salutarem fidelibus harmoniam, non autem pugnantiam ullam, nisi forte Deus huius seculi, tum quoque vox excœcarit, ut lumen hoc gloriae & maiestatis Christi hominis aspicere nequeas. Deinde confutationis loco subiçcis.

Huic Osiandri argumento iam respondemus illud ipsum quod ait Basilius, Augustinus, Damascenus nimurum, quod Deus non posset quædam, non esse hoc ipsum in Deo impotentiam; sed potius summam esse Dei & sapientiam, & potentiam, & constantiam. Nam non posse mentiri, mori, sibi aduersari, haec summa est Dei gloria, constantia & omnipotentia, quæ si posset, iam non esset omnipotens. Huiusmodi est illud quod dicimus: Cum verum, & humanum corpus omne τεργαπλού, & locabile esse voluerit Deus, ac tale filio suo Domino nostro Iesu Christo pro nostra salute dederit, summa esset inconstantia, quod perpetuus esse voluit, veram videlicet humanitatem Christi destruere: summaq; impotentia mentiri posse. Quod sane Deo tribuit, quisquis contradicitoria illum velle docet, ipsum videlicet velle, ut corpus Christi simul sit & circumscriptum & incircumscripsum: Item finitum, & infinitum: Et uno loco simul atq; plurimis locis. Hac vos asseritis, nos negamus. Vtri melius sentiant, iudicet orthodoxa Ecclesia atq; posteritas.

198 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

Respondeo vicissim, Ea Deum non posse rectissime  
 dici, quæ ipsius naturæ, veritati, potentie, sapientiae, bonitatis  
 vel alij cuiuslibet attributo diuino reclamant. Mentiri, mori &  
 sibi aduersari: veritati, constantiæ, αμεταβλησια & naturæ  
 Dei, quæ simplicissimus, immutabilis & purissimus actus  
 est omnis potentia & omnipotens expers, repugnat. Efficere  
 vero, ut suum corpus simul in pluribus locis sit, nec veritati,  
 nec potentia, nec constantia, nec ulli attributo Dei repug-  
 niat, sed potius gloriae & omnipotentiæ diuinæ opus est,  
 in proprio nimirum corpore, supra naturam eius agere pos-  
 se. Cuiusmodi quoq[ue] ista sunt, quod caro Christi vivifica est,  
 non sùa natura, gratia cuius λογοτοιος indiget: sed quia Dei  
 caro & vita essentiali coniuncta est: Et quod sanguis eius  
 mundat nos ab omni peccato. Hæc infinitæ potentia ope-  
 ra sunt, quæ si humanitati Christi preter eius destructionem  
 vere tribui possunt, cur non & hoc, Corpus Christi in plu-  
 ribus locis simul esse posse? Præterea Philosophi erudiant  
 nos, Limitationem in causa esse, ut de eodem subiecto, op-  
 posita veredictantur: quod hic etiam cernere licet. Corpus  
 enim Christi quantitatis & naturæ suæ causa προγένεσις &  
 non nisi uno in loco esse potest: quia vero Dei corpus, & ad  
 tram Patris supra & extra omnem locum & creaturam  
 exaltatum est: supernaturali modo, loco non circumscris-  
 bitur, cum ea ratione in loco nullo sit, sed in dextra Dei,  
 gratia cuius quoque Christo secundum humanitatem  
 OMNIA præter Deum subiecta dicuntur, & ipse omni-  
 bus præsentissimus non naturaliter, non localiter, sed mo-  
 do fissionis ad dexteram Dei omnia subiecta habet. Et  
 hoc nullius inconstantiæ sed summæ perfectionis &  
 omnipotentiæ diuinæ opus est, efficere posse, ut verum  
 humanum corpus, præter & supra naturam suam hyper-  
 physicis

1.Ioan.1.

physicis prærogatiis exornatum sit. Deus quoque nunquam dixit vel voluit, filij sui corpus non nisi uno in loco esse posse, sed Aristoteles vester Propheta, cuius apud vos in hoc articulo potior quam Dei ipsius authoritas est, hoc sentit. Nec etiam Deo vel humanitati Christi contradictionia tribuimus. Hæc enim vere contradictionia sunt, cum quid de uno eadem ratione affirmatur & negatur. Ut cum dico: corpus Christi naturaliter in uno loco, & naturaliter non in uno loco sed in pluribus locis est. Hoc contradictionem manifestam implicat. At diuersa ratione & modo, vni & eidem contradictionia tribui, verissime possunt. V. G. ferrum de quo quarto Regum capite sexto legimus, quia natura sua graue erat, submergitur: supernaturali vero modo idem ferrum suam substantiam retinens non submergitur sed aquis Iordanis innat. Et hæc natura sua fluidæ sunt & ὑπερφυσικæ, transfeunte populo Dei, non fluidæ sunt. Pari ratione corpus Christi, quia Dei corpus, viuificum est: & non viuificum suæ naturæ. Idem quantitatis & naturæ suæ causa, finitum, circumscriptum, & non nisi uno in loco esse potest, & eiusdem quantitatis vel magnitudinis ratione nequaquam ἀπέχεται per totum vniuersum diffunditur: supernaturali vero modo, quo Deo uniuersum iam extra rationem loci, ad dextram Dei sedet, pluribus locis, immo omnibus adesse potest. Et hæc contradictionia non sunt, nec Deum inconstantem vel mendacem faciunt: sed gloriam omnipotentiae & veritatis ipsius illustrant. De quo penes intelligentes iudicium esto.

Tertium argumentum Osiandri tale est. Dogma relinquitur, Tertium Osiandri quens nobis in coena Domini nuda tantum panis & vini Argumentum symbola, tum.

200 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

symbola, & spolians nos corpore & sanguine Christi, quæ ipse exhibere & communicare se nobis promisit, damnans dum est. Zwinglianismus talē rapinam admittit. Ergo.

Hoc argumentum tu more tuo de formas, & alienum ei medium, quo Osiander plane usus non erat, affingis, ut illud pro tuo arbitrio exagitare possis. Osiander enim tamquam certissimum & omnibus, ex libris vestris, notissimum, loco medijs hoc sumperat, vos nuda symbola in coena S. ponere: istud tu velut incertum in dubium vocas, & ex medio maiorem terminum fingens, Vbi uitatem, cuius Osiander non meminerat, hoc modo adhibes.

Qui ubiq. esse corpus Christi non consentiunt, relinquunt nobis in S. coena panem & vinum, symbola nuda, quibus iubent, ut si dem nostram confirmemus. Et subiçis responsum: Nobis hic verò Osiander errores & monstra affingit, quæ debellat, nostram aut sententiam neq. refert, neq. refutat. Negamus igitur vel ex verbis vel ex mente nostra colligi posse, quod hic de nobis Osiander ait. Ex verbis quidem non potest, quia perspicue docemus, hæc signa longè differre à rerum simulacris aut pictis imaginibus etiam ad viuum expressis. Huiusmodi enim emiores sunt signa tantum, eaq. nuda, neq. rem ipsam (quam signant, & repreäsentant) dari nobis communicariq. obsignant. At panem & vinum S. coena affirmamus esse certissimas ipsius Christi carnis & sanguinis communicati exhibitiq. nobis ophægias, si finem eorum spectemus cuius iam sunt instituta. Quare ex verbis nostris refutatur ista Osiandri calumnia, apparebat minime nos facere signa coena nuda signa. At qui neq. ex mente nostra aliud quippiam colligi potest, quia quæ sit mens nostra ex verbis nostris non aliunde intelligitur.

Osiandrum vobis nihil affingere, sed monstra errorum vestrorum bona fide proferre, demonstrabo, vbi prius monuero,

monuero, nos nuda symbola respectu ipsius corporis & sanguinis Christi tantum intelligere, & in vos hoc crimen verissimè conferre, quod vacua symbola in cœna relinquitur: quia contenditis, corpus Christi, cuius symbolum panis est, tanto interuallo à cœna, quæ in terris celebratur, abesse, quanto summum cœlum à terra. Et hoc errore omnes vestri libri commaculati sunt. Caluinus in formula confessionis cum Heluetijs scribit: *Christus quatenus homo est, non alibi, quam in celo, nec aliter quam mente & fidei intelligentia querendus est.* Quare peruersa & impia superstirio esse ipsum sub elementis huius mundi includere. Proinde qui in solennibus cœna verbis, *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus, præcessit literalem, ut loquuntur, sententiam urgant, eos tanquam præposteros interpretes repudiamus.* Nam extra controuersiam ponimus, figuratè accipienda esse, ut esse panis & vinum dicantur id, quod significant. Et paulo post: *Tametsi enim Philosophice loquendo, supra cœlos locus non est, quia tamen corpus Christi, ut fert humani corporis natura & modus, finitum est, & cælo ut loco continetur, necesse est à nobis tanto locorum interuallo distare, quanto cœlum abest à terra.* Et Beza in summa doctrinæ de Sacramentaria scribit: *Sicut scimus signa esse in terris & non alibi: ita etiam statuimus rem ipsam, id est, Christum ipsum secundum carnem, cœlis & non alio loco comprehendendi.* Et paulo post: *Abesse igitur corpus & sanguinem à signis tanto interuallo dicimus, quanto abest terra ab altissimis cœlis, &c.* Ex his nemo non nisi stupidissimus cognoscit, ex verbis & mente vestra verissime colligi, vos Dei Ecclesiam, quantum in vobis est, corpore & sanguine Christi spoliare, eiq; nuda symbola, quæ res ipsas quarum nomina habent, non offerant, sed longissimè absentes tantum ostendant, in cœna relinquere. Quæ cum manifestissima sint, tamen impostores illi, toti

202 *Responsio pro Antistarmio D.D.*

mundo persuadere conantur, se non vacua symbola ponesse, sed rem cum illis coniungere. Quis vero nisi de mensuris & a vobis fasci natus hoc credat? Nam symbola panis & vini apud nos sunt in terra, corpus vero Christi non nisi in celo continetur. Quomodo ergo non euacuantur illa, ut res promissas non exhibeant, sed absentes tantum significant? Hoc cum Danæus non pro rursus negare possit, fucum imperito lectori his verbis facere studet, *Panem & vinum & cœna esse certissimas officij ipsius Christi carnis & sanguinis communicati & exhibiti nobis.* Vbi vero Danæe exhibiti? In celo a terris remotissimo? Nam secundum vestros, caro & sanguis Christi, non alio loco continentur quam in celis. Quis vero non detestetur praesertim sanguinem Christi nobis exhiberi & communicari, nosque substantiam eorum ad immortalitatem pasci? & tamen illam longissime a nobis remouent? Ac si quis famelico latissimos cibos de longe ostentet, ei quod persuadere concut, quod ijs, quos nunquam attigisset, saturetur. Quare haec nulla calumnia, sed ipsa veritas est, vos in vestra coena, famelicis hominibus vacuas patellas proponere, eosque viuifica carne & sanguine Christi, contra hospitis liberalissimi voluntatem spoliare. Hoc, cum homo versutus argumentum Osiandri vrgere, nec sibi quod respondeat præter ludicra quod edam superesse, intellecterit: astute arguimento relicto, Vbi uitatem arripit, quod certiori in ea victoriam obtainere se posse sperauerit. Quamuis vero omnia illa silentio præterire possem, ut quæ ad argumentum Osiandri nihil pertineant: quia tamen haec alias in quaestionem quoque veniunt, ideo ad ea responderem non grauabor, ut & hoc præsidium sibi minimè tutum esse Danæus intelligat.

Verum

Verum (inquis) quæ ista, quæso Dialectica est Osiander, idcirco  
concludere S. cœnæ signa vacua & nuda à nobis relinquī, quo-  
niā monstrosum illam Vbiuitatem & ubique præsentiam cor-  
poris Christi non admittimus? Aut corpus ipsum cum signis,  
corporali præsentia modo præsens adesse in eodem loco nequa-  
quam concedimus: cum ipsemet Lutherus, ut antea docuimus,  
Vbiuitatem nihil ad cœnam Domini pertinere sit testatus:  
nec id Pouchenius ipse diffiteatur, imò disertè iam affirmet.  
Prius igitur Osiander inter vos conueniat oportet, quām  
nobiscum disceptes. Ergo sunt ex nostro dogmate signa seu  
symbola Sacra cœnæ signa non nuda: sed verè testificantia, at-  
que ve loquuntur, exhibitiua ipsius rei quam designant: sed  
nobis ea fide sumentibus spirituali modo, animis non ore cor-  
poris: neque etiam ipsius, ve vos loquimini, essentiali carnis &  
sanguinis Christi in eodem loco, id est, in his terris cum signis  
copulatione: quem vnum tamem modum vos esse vultis, per  
quem S. cœnæ symbola esse quærant vera promissionum Dei signa.  
Quasi verò in sacrificijs veteris testamenti (quæ erant eius-  
dem Christi carnis pro peccatorum remissione immolandæ sa-  
cramenta, vt iam immolatæ hæc nostra sunt signa) ipsa ca-  
ro & sanguis Christi adessent præsentia corporalis situ & mo-  
do: quasi in agno paschatis, in Manna, in conuiuijs Euchari-  
sticus (quæ certè omnia erant Patrum cum ipsa carne, & san-  
guine Christi communicationis Sacramenta, quemadmodum &  
hæc nostra sunt nostræ) ipsa caro & sanguis Christi tunc præsens  
essentialiter adesset, & in eodem loco cum ipso agno, cum ipso  
Manna, cum ipso pane azymo, & vino, quibus post sacrificium  
recepabantur fideles, præsens esset. Quæ tamen si nuda fuerunt si-  
gna, an non Patres ludificatus fuerit Deus? Quamobrem & si  
corpus ipsum & sanguinem Christi cum pane & vino S. cœnæ  
eodem loco non coniungimus: neque cum signis, corporali præ-

204 *Responsio pro Antisturmio D. D.*

*sentia adesse dicimus : propterea tamen neq; nuda , neque etiam  
vacua illa relinquimus , quemadmodum vident omnes , vt  
tandem nos hac calunnia onerare desinas . Quid in Ba-  
ptismo ? Num idcirco aquanudum est & inane signum , quo-  
niam Christi sanguis cum ea corporalis praesentie modo , vobis  
etiam approbantibus , non coniungitur . Vide quid ad ista re-  
pondeas ?*

*Vt te querentem de Dialectica , qua non Osiander ,  
sed tu usus es , etiam in hac parte erudiam , respondeo : si  
Christus ascendit ad coelos , & illis secundum humanitatem  
ita continetur , vt nobis ante nouissimum diem in terris  
praesens esse non possit : relinquuntur certe in coena , absq;  
corpore & sanguine Christi , nuda signa . Et hoc argumento  
ipse Lutherus contra vestros usus est , posteaquam cogno-  
uit ipsos eò audaciae progressos esse , vt etiam articulis fiz-  
dei de ascensione & sessione Christi ad dexteram Dei , sub-  
stantialem praesentiam corporis & sanguinis Christi in coe-  
na impugnarent . Simpliciores vero ad verba institutionis  
reuoauit , vt quæ abunde sectariorum somnia confundes-  
sent . Illa enim de voluntate testatoris certissimos nos red-  
dunt : ex doctrina vero Maiestatis Christi , contra impu-  
dentes vestras calumnias dilucide demonstratur , Christo  
non modo non impossibile , sed etiam facilimum esse , vt  
quod nobis in coenæ suæ institutione promisit , hoc etiam  
praestare possit . De hoc inter nostras Ecclesias per gra-  
tiam Dei iam optimè conuenit . Ex eodem argumento  
quoq; nostrum propositum solide firmatur , quod coenæ  
vestræ signa sint nuda symbola , quæ non exhibeant  
rem quam designant , hoc est , corpus & sanguinem  
Christi : sed ea longissime absentia repræsentent : quod  
etiam tu , teipsum & alios implicando non diffiteris ,*  
*Ellens*

Essentialis carnis & sanguinis Christi in his terris cū signis  
coniunctionem negans : cum tamen Christus panem  
accipiens & discipulis porrigens dicat, Hoc est corpus me-  
um, quod pro vobis datur . Ergo cum pane accipimus cor-  
pus Christi, nisi veritatem mentiri ore blasphemо dicere ves-  
lis. Et quid aliud agis, sacrificia & typos veteris Testamenti  
producendo, quām vt præsentiam substantiam corporis  
& sanguinis Christi ē cœna proscribas, & Symbola cœnæ  
Dominicæ, nuda signa esse ostendas? Inquis enim, **Sacrificia**  
**illa eiusdem Christi carnis pro peccatis immolandæ Sacra-  
menta fuisse, uti iam immolata hæc nostra sunt signa.** Sacrificia autem  
V. Testamenti nihil aliud fuerunt, quām nudæ picturæ &  
figuræ absentis carnis & sanguinis Christi immolandi, quæ  
licet de rebus spiritualibus admonerent, rem tamen ipsam  
quam significabant non exhibuerunt, sed adumbrarunt  
tantum, teste Paulo Hebr. 10. cap. Ergo secundum te , Sym-  
bolæ panis & vini quoq; nuda signa & figuræ sunt corporis  
& sanguinis Christi absentis: cum Sacra-menta veteris &  
noui Testamenti ratione substancialiter tantum differant, quā-  
tum ymbra à corpore differt: Nec propterea Deus ludificas  
tus est patres, quod ymbram & similitudinem tantum, non  
rem ipsam, quæ caro & sanguis Messiae est , illis exhibuit:  
sed hoc beneplacitum ipsius fuit, sub typis & ymbribus vete-  
rem populum exercere, & hisce figuris, quæ signa gratiæ dis-  
uinæ & remissionis peccatorum erant, fidem ipsius in ven-  
turum confirmare. Hanc autem gloriam , excellentiam , &  
prærogatiuam Sacra-mentis noui Testamenti reseruauit, vt  
res quas significant, præsentes quoq; exhibeant, nec longe  
remotas, quod V. Testamenti typis proprium fuit, tantum  
ostendant. Discriumen hoc Sacra-mentorum veteris & noui  
Testamenti, Danæus Iudaïsans nondum intelligit, & a re-

206 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

bus ipsis & figuris ad typos reuocare nos studens persuadere conatur, non magis exhiberi nobis corpus & sanguinem Domini in S. coena, quam veteri populo in sacrificijs & typis Leuiticis exhibita fuerunt: ut mirum quoque sit, quia fronte pugnare ausit, se nuda signa non relinquere, cum ipse fateatur, Rem ipsam, hoc est, corpus & sanguinem Christi, à signis coenæ non minus essentialiter abesse, quam à veteris Testamenti sacrificijs abfuerint. Verum hinc Zwingiani in maximo errore versantur, quod ex typis & umbris veteris populi, de nostrorum Sacramentorum natura constituere volunt, cum nostra veteribus illis tantum praestent, quantum corpus umbram antecellit. De aqua Baptismi Christus non dixit: hic est sanguis meus, ideo allegatio eius inconueniens est. Nec tamen idcirco inane vel nudum signum est, quo absens regenerationis significetur, sed ipsum medium regenerationis ac renouationis Spiritus Sancti scriptura prohibetur.

*Ioan. 3.  
Ephes. 5.  
Tit. 3.*

*Quartum  
argumen-  
tum Osiandri.*

*Qui cum Ubiquitariis non consentiunt. Paulo repugnant, quoniam Paulus affirmat, etiam indignos sumere ipsum esse sanguinem Christi, quod negant isti. Etiam quartum argumentum Osiandri, Danæus sycophantice obscurat, ut insulsum & ineptum videatur. Est autem tale: Opinio repugnans manifesta doctrinae Pauli esse damnanda. Cinglianorum opinio expresso testimonio Pauli contradicit. Hic enim ait, indignos etiam in sacra coena corpus & sanguinem Christi accipere, Cinglianorum sententia istud negat. Ergo esse auersanda & damnanda. Ad hoc Danæus respondet.*

*Iterum aperte verba Pauli corrumptie Osiander: hac enim sunt ipissima Pauli verba, ex Gracis latine facta. Itaque quisquis ederit panem hunc, & biberit hoc poculum Domini indignè, reutenebitur corporis & sanguinis Domini. Rationem addit Paulus.*

tus. Nam qui edit & bibit indignè, damnationem sibi ipsi edit & bibit, non discernens corpus Domini. Ex quibus Pauli verbis primum apparet, sumi quidem ab indignis panem hunc & vinum illud, id est, Sacramenta: at non illud quod vult Osiander, id est, corpus & sanguinem Christi: Est enim verissima hæc Christi sententia: Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego excitabo eum in nouissimo die. At pro pane hoc & pro poculo hoc, quæ sunt voce Pauli, maliciose Osiander hæc verba substituit, ipsum corpus & sanguinem Christi, quæ certè longissimè, totaq; naturæ ratione ab ipso pane & vino differunt, nisi forte transiens iste in castra Pontificiorū ē S. cena Domini tollit omnino signa ipsa, et Symbola. Alterum autem quod ex iisdem Pauli verbis disertè colligitur, hoc est, indignos ad cœram Domini accedentes, recesse corporis & sanguinis Christi, quia non discernunt corpus Domini. Hoc autem quid sit explicans Augustinus ait, Aug. in E-  
quoniam indigni hunc panem & poculum hoc, velut quemlibet alium cibum indiscretè, negligenterque sumunt: Et pro-  
pterea redundat contemptus in ipsum Christum, id est, in ipsam rem significat am. Praclarè enim Hieronymus in Malachi- In Mal.  
am: dum Sacramenta violantur, ipse, cuius sunt, violatur. cap. 1.  
Quemadmodum enim qui signum paschatis, qui Manna ipsum, qui panes propositionis, qui carnes in sacrificio Euchari-  
stico oblatas, à ceteris vulgaribus cibis ( quamvis & ipsi  
sint Dei dona ) fide non discernebant, iudicium sibi manduca-  
bant, quemadmodum docet Christus ipse. Neque tamen ipsa  
res significata, nempe caro Christi, tunc præsens in ijs locis e-  
rat, neque cum ipsis signis coniuncta: sic qui in S. Domini cœ-  
na panem, & vinum Sacramenta à vulgaribus communibus q;  
cibis fide non distinguunt, iij & Dei beneficia contemnunt,  
et cor-

208 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

& corporis Christi novœviæp (cuius hic panis, & hoc vinum sunt illis Symbola sacra) & re uno verbo dicam, Deum ipsum, & Christum Dominum aspernatur cum vniuersis salutaribus ipsius donis. Quare perperam colligit Osiander, nos aduersari Paulo. Neq; enim hoc dicit Paulus, sed id tantum, eos nimirum edere panem hunc, & poculum hoc. Praclarè igitur Chrysost. Homil. 60. ad populum Antiochen. docet hæc verba Christi. Hoc est corpus meum, & c. nihil sensibile, sed omnia intellexi & fide apprehendenda continere, ac polliceri, ne corpus ipsum Christi in his, aut cum his signis queramus: aut illud insensibile esse, etiam cum ades existimemus. Atq; sic responderetur ad quarcum Osiandri argumentum.

De indignorum manducatione, quia suprà ex Paulo & Patribus copiosius differui, nunc repetitione eorūdegi lectori molestus esse nolo. Summa vero eorum est: quod Paulus non loquatur de nudo pane & poculo, sed pane & poculo Domini, quæ teste eodem Apostolo novœvia sunt corporis & sanguinis Christi. Idcirco elementa hæc panis & vini indignè accipiens, non tantum reus fit Symbolorum terrenorum, sed etiam ipsius corporis & sanguinis Domini. Quomodo vero hoc? Non aspernando vel sumere negligendo (vt tu suprà verba Pauli corrupisti) sed edendo panem, qui novœvia est corporis Christi, & bibendo calicem, qui novœvia est sanguinis Christi. Inquit enim Paulus: Qui edit & bibit indignè, iudicium sibi ipsi edit & bibit (nō inquit iudicium sibi accersit auersando, contemnendo, vel abiciendo cibum istum, sed sumendo) non discernens corpus Domini, non ait, non discernens panem ab alio parte. Deinde panem & vicnum sine corpore & sanguine Christi, non esse Sacramentum coenæ: & hoc integrum, id-est, Symbola cum substantia corporis & sanguinis Christi, tam indignos quam pios accipere,

accipere, prius ostendi: quod cum tu verbis Christi Ioan. 6.  
 impugnes, an non tibi ipsi manifeste contradicis? Supr'a Fol. 24.  
 enim Caluinum produxisti, confirmantem hunc locum  
 Ioannis, perperam, ad coenam Domini referri. Loquitur  
 enim ibi Christus de spirituali mandatione carnis suæ,  
 qua non ipsam substantiam, sed efficaciam & meritum  
 corporis & sanguinis Christi, fide percipimus, quo modo  
 indigni carnem Christi non manducant. At nobis h̄c ser-  
 mo est de Sacramentali mandatione, quam nobis Chris-  
 titus in sacra sua coena instituit. In hac tam dignos quām in-  
 dignos, cum Symbolis externis corpus & sanguinem Chris-  
 ti accipere, Pauli verbis probamus. Et licet naturæ ratio-  
 ne differentia haec: non tamen peccauit Osiander, pro pane &  
 vino ipsum corpus & sanguinem Christi substituendo.  
 quia horum, ex vi institutionis Sacramentalis quadam con-  
 iunctio est, gratia cuius, in ipsa sumptione separata non  
 sunt. Adhæc quid aliud ex hisce Pauli verbis, *Indignos ad*  
*coenam Domini accedentes reos esse corporis & sanguinis Christi,*  
*quia non discernunt corpus Domini, colligi potest, quām ipsos*  
*quoque sumere corpus & sanguinem Christi?* Et intersus-  
 mendum non discernendo corpus Domini, reos ipsius fie-  
 rie. Quod ipsum Augustinus disertè confirmat in loco abs Tract. in  
 te allegato, scribens: *Recordamini unde sit scriptum, quicun- Euang.*  
*que manducauerit panem, aut biberit calicem Domini indigne-*  
*reus erit corporis & sanguinis.* Et de his erat sermo, cum hoc  
 Apostolus diceret, qui D O M I N I C O R P V S  
 velut alium cibum quemlibet indiscretè negligenterque sume-  
 bant. Hic ergo si corripitur, qui non dijudicat, id est, non diser-  
 nit à ceteris cibis D O M I N I C V M C O R P V S:  
 quomodo non damnatur, qui ad eius mensam fingens amicum acce-  
 Dd die

210 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

*dit inimicis?* Quia igitur peruersitas hæc tua, manifestum Augustini locum depravare & pro Dominico corpore vocem panis substituere? Quamobrem cum indigni non nudum panem sed simul etiam corpus Domini accipiunt, & accipiendo quasi polluant; propterea rei sunt corporis & sanguinis Domini, & sibi ipsis iudicium edunt & bis bunt. Nam si iuxta Hieronymum Sacra menta sive typos veteris testamenti (de panibus enim propositionis sermo ibi est) violans, ipsum cuius sunt, violat: multo magis rem ipsam, veritatem & corpus violans, sibi ipsireatum & iudicium accersit. Præterea Argumentum tuum ex analogia deductum, nihil roboris habet: modo enim ostendi, ingens discrimen esse inter Sacra menta veteris & noui testamenti, ut hoc modo colligere non liceat: Res signis ficata cum signis veteris Testamenti non fuit coniuncta, Ergo nec in cœna Domini. Et quamvis Iudei hypocritæ sine fide comedentes agnum Paschatis, Manna, panes propositionis, carnes sacrificiorum, propter infidelitatem suam rei fuerint iudicij: tamen scriptura in locis a te citatis non docet, quod iudicium sibi manducarint. Nam Christus Ioann. 6. cap. <sup>ad vii Beos</sup> p. facit inter Manna & carnem suam, vt Iudeos de Manna suorum maiorum superbe gloriantes, & Christum verum cœlestem panem obstinate contemnentes, redarguat, sui beneficij magnitudinem, quod est conferre credentibus vitam æternam, quam nec Manna nec cuncta sacrificia præstare potuerint, ostendat. Paulus vero monitus Corinthios, ne pròpter excellentia dona securi fierent, exemplum Israelitarum proponit, qui etiam ingentibus miraculis & donis a Deo ornati fuerint: sed plerosque illorum, inquit, non approbauerit Deus.

In Malach.  
cap. 1.

# Osiandri, contra Lamb. Danæum. 211

Deus. Prostrati enim sunt in deserto. Quam verò ob causam? Num quia sine fide spiritualem escam comederunt & potum spiritualem biberunt? Nihil de hoc affirmat Paulus; sed quia concupuerunt res malas, facti sunt Idololatriæ, scortati sunt, tentarunt Christum, murmurârunt: Hanc causam iudicij & interitus ipsorum commemorat Apostolus. Nihil ergo ad præsentem materiam ista loca. Non minus etiam Chrysostomo vim facis, qui cum tibi in Homil. 60. ad populum Antioch. ut etiam in alijs locis manifester repugnet, mirum est vt tu eum in auxilium vocare audeas. Scribit enim dicto loco: *In omnibus itaque Deo pareamus neque contradicamus: licet cogitationibus nostris aduersari videatur & oculis, quod dicitur, sed sit & cogitationibus & visu dignior ipius sermo, sic & in Ministerijs agamus.* Nec solum pre oculis posita respiciamus, sed ipius verba contineamus. Ipsius enim sermo infallibilis, sensus autem noster seduci facilis: ille nunquam decidit, hic autem ut plurimum errat. *Quoniam igitur verbum dicit, Hoc est corpus meum: & parcamus & credamus, & intellectualibus ipsum oculis intueamur.* Nihil enim sensibile nobis Christus tradidit, sed res quidem sensibles, omnes autem intelligibiles. Quid quæso in his omnibus est, quod nostræ sententiaz non probe conueniat? Vult nos in omnibus Deo parere & credere, licet cogitationibus & sensibus nostris, quod dicitur aduersetur. Et exempli causa adducit verba coenæ, hoc est corpum meū. Quid aut rationi et sensui humano magis aduersum, quam Christum nobis corpus suum in coena saec dare? cui contradicere, quod vos facitis, placulū ducit. Et ne de mēte ipsius dubitare possis ipse in ea de Homil. inquit: *Audiamus igitur & sacerdotes & subditi, quas esca facti sumus digni, audiamus & horreamus, sanctis carnibus*

Dd 2 suis

212 *Responsio pro Antisturmio D. D.*

suis nos dedit impleri, semetipsum apposuit immolatum.

Et paulo post: Non erat illa mensa tunc ex argento, nec aureus calix, ex quo S A N G V I N E M P R O P R I U M Christus suis dedit discipulis, &c. Quia igitur Christus suum corpus in coena promisit, idcirco adesse illud credamus, et si praesentiam eius nec cogitatione nec sensibus, sed tantum intellectualibus oculis, id est fide, percipiamus. Ipsius enim sermo infallibilis est. Ex quibus etiam liquet, recte collegisse Osiandrum, Calvinianum dogma aduersari Paulo, ideoque damnandum esse.

Quintum  
Osiandri  
Argumen-  
tum de os-  
mipoten-  
tia Christi  
hominis.

*Qui ubique esse corpus Christi non fatentur, errant: quoniam negant, Christum iuxta humanitatem assumptam etiam in statu gloriae & maiestatis esse omnipotentem.*

Dixi, Osiandro in secunda Antisturmij parte non tantum propositum esse, puram doctrinam de praesentatione Christi in Ecclesia asserere; sed etiam alias partes religionis Christianae & maiestatis Christi Hominis ab iniuria Calvinistarum vindicare. Quod cum Danaeo ignotum non sit: singula tamen Osiandri argumenta ad Vbiicitatem, detorquet, ut forma ipsorum abolita, & odiosa Vbiicitatis voce assumpta, prima statim fronte imperito lectori exosa & contempta reddantur. Quintum autem Osiandri argumentum sic habet: *Dogma quod verbo Dei contradicit, reiciendum & damnandum est*, Zwinglianismus hoc scelus admittit, Dicit enim scriptura, Christo (Hominis ex mortuis resuscitato) datam esse omnem potestatem in celo & in terra. Zwinglianum dogma hoc negat. Ergo, &c. Respondet Danaeus,

*Audi Osiander quid dicamus. Affirmamus Christum etiam antestatum gloriae, & eius maiestatis (in quantum est) esse fuisse sem-*

seq̄ semper & ab aeterno omnipotentem: quia Christus hic est  
verus Deus, & Deo Patri per omnia aequalis. Sed Christum  
iuxta humanitatem assumptam esse omnipotentem, hoc vero  
per negamus. Ratio est, ne naturas in Christo confundamus,  
ne proprietates earum essentiales propter Maiestatem à Chri-  
sto homine assumptam in eo fuisse abolitas cum Eutichianis  
sentiamus: ne ipsum fidei nostra fundamentum & hoc immu-  
tabile spiritus Sancti verbum euertamus. Et verbum caro  
suum est. Denique ne ipsam Omnipotentiam in creature  
ulla esse constituamus, id est, ne creaturam ullam Deum fa-  
ciamus. Etsi enim scholastici dicunt, humanam Christi natu-  
ram per gratiam unionis (ut ipsimet loquuntur, & quidem  
recte) non autem per gratiam habitualem appellari posse omni-  
potentem: tamen huiusmodi phrases in abstracto sunt periculu-  
se, ac vos multosque non satis quomodo id recte dicatur at-  
tendentes refellerunt. Atque etiam tales enunciationses de  
humana Christi natura sunt tantum, ut scholæ loquuntur, Dia-  
lectica & verbales: non autem reales & Physica, ut ex Lu-  
thero quoq; ipso potest colligi in Postilla Ecclesiastica, in enar-  
ratione Epist. In die natali. Quamobrem in eo vere tu quidem  
Osiander scribis, nos negare Christum iuxta humanitatem  
esse omnipotentem: sed in eo erras turpissime, quod hanc nostram  
verbo Dei consentientem sententiam errorem appellas & esse  
indicas.

Christum quoque secundum naturam assumptam  
omnipotentem esse, multa scripturæ testimonia docent.  
In primis vero illud Matthæi ultimo: Data est mihi omnis  
potestas in celo & in terra. Et Danielis septimo Filio hominis  
eterna potestas data esse legitur. Matthæi 11. inquit Chris-  
tus: Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Quaecunque autem

Christo in tempore data esse dicuntur, de humanitate accipienda esse, & ratio Scripturæ docet & pia antiquitas monet. Si igitur Pater, Christo homini omnem & aeternam potestatem dedit, certe & omnipotentiam. Potestas enim in diuinis potentiam οὐεπιφέρει: nisi dicere velis Patrem ille lusisse filio, dando ei rei alicuius potestatem, cuius potentiam non habeat. Ac si Christus Paralytico potestatem ambulandi fecisset, potentiam vero eius non simul contulisset. Paulus vero Ephes. 1. Potestatem & potentiam coniungit, scribens: Patrem gloriae, Christum ex mortuis suscitatum collocaisse ad dextram suam in cœlestibus, supra omne imperium ac potestatem & potentiam & dominium & omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc seculo, verum etiam in futuro. Ergo Christo Homini ad dextram suam collocato, omne imperium, omnem potestatem, omnem potentiam & omnium rerum dominium dedit. Et hac communicatione omnipotentiae naturæ nullo modo confunduntur vel exquantur. ο λόγος enim sua δύναμις est ipsa omnipotentia: humanitas vero sua natura est potentia finita, quæ omnem potentiam per gratiam vnionis communicatam habet: & nisi personaliter vniata esset λόγος, omnipotens nulla ratione dici posset, sed habendo realiter & personaliter essentialēm potentiam vnitam, & ipsa eadem illa omnipotentia Verbi omnipotens est. Quemadmodum ferrum ignitum non propria & naturali vi virit & lucet, sed virtute ignis quem coniunctum habet, eadem quæ ignis ipse separatus operatur: ita humanitas Christi non propria, sed Verbi omnipotentia, quam si personaliter vniata non esset, praestare illa nullo modo posset. Nec etiam proprietates essentialēs naturarum abolerentur.

lentur. Omnipotentia enim essentialis proprietas est & manet diuinæ naturæ , nec in æternum essentialis proprietas humanæ naturæ sit, quod voluit Eutyches. Manet quoque firmum fidei nostræ fundamentum, verbum carnem esse factum. Caro enim non conuersa est in Verbum, sed diuis na maiestate ita illustrata & exornata, ut propter vniōnem cum vita, ipsa quoq; viuifica sit: ita humanitas Christi per & propter vniōnē cum omnipotentia, & ipsa omnipotens est.

Deniq; absurdum vel blasphemum non est, omnipotentiam in natura Christi humana constituere . Nam si tota plenitudo diuinitatis corporaliter & realiter in illa constituta est, cur non & omnipotentia? Et nisi omnipotentiam τὸς λόγος in hac creatura realiter constitutas, fundamentum salutis nostræ, iam sustulisti, quod ex vestra blasphema doctrina omnino necesse est sequi. Si enim humana natura cum omnipotentia λόγος, nihil commune habet: Christi passio, quæ secundum humanam naturam facta est, non erit propitiatio, non satisfactio pro peccatis totius mundi: Agnus ille Dei qui Christus homo est, carnis suæ immolatione non potuit tollere peccata mundi: sanguis Christi non poterit nos mundare ab omni peccato. Semen mulieris non potuit conterere caput serpentis: non potest benedicere omnes familias terræ, quia Christus homo finitæ tantum & ceatae, secundū te, potentia est, quæ hisce operibus lōge impar agnoscatur. Sunt enim hæc omnia eiusmodi opera, ut diuinam & infinitam potentiam requirant: quam cum vos humanitatib; Christi denegatis, quid aliud agitis, quam ut totum salutis nostræ fundamentum euertatis? Et cur necesse fuit Verbum carnem fieri, nisi ut carne pati, eisq; omnē & immensam potentiam suā ad sufficiens meritum perficiendū communicare posset? Nam infinitæ iustitiae diuinæ satisfacere necesse fuit, quare.

216 *Responsio pro Antisturmio D. D.*

quare etiam meritum infinitum esse debuit: hoc autem esse non potuit, nisi caro Christi infinita potentia realiter perfecta fuerit, ideoque etiam passio Domini, non nudi hominis, sed totius Christi Dei & hominis simul, passio est, hoc est infinita, qua sola infinitæ iustitiae diuinæ satisfieri potuit. Et hac communicatione omnipotentiae, creatura non sit Deus: sicut  $\lambda\circ\gamma\vartheta$ : sed per unionem habendo omnipotentiam esse sentialem intimè & arctissime personaliter coniunctam, & ipsa omnipotens est, non alià quām  $\lambda\circ\gamma\vartheta$  omnipotentia.

Quemadmodum ferrum per unionem cum igne, non fit ipse ignis, sed ignitum, ut eadem quæ ignis efficiat, non propria quidem vi, sed ignis potentia, qui ipsi realiter coniunctus est. Et hæc omnipotentia huic soli creature per gratiam unionis contigit, de quo nos scriptura disertè & verissimè instruit: cui si fidem habebimus, nec fallemur, nec etiam periculum contemptæ Majestatis Christi cum Calvus nistis subibimus. Et hæc communicatio licet physica non effusa esse, quæ à  $\lambda\circ\gamma\vartheta$  separata, humanitati seu subiecto physico inhærent: non tamen etiam verbalis est tantum, sed realis, nisi Christum secundum humanam naturam nos minetenus ad dextram Dei sedere, omnemque potestatem & potentiam accepisse, sive Dominum omnium rerum non re, sed verbis tantum factum esse, blasphemare velis. Vbi Lutherò quoque vim & iniuriam facis, qui cum vobis nullo verbo suffragetur, tamen in partes vestras pertrahere eum conaris. At ipse in loco abste citato distinctè ostendit, qualis Christus ratione naturæ humanæ in statu exanicciois suis fuerit, & statim subiungit: *Quicquid de Christi humiliacione & exaltatione dicitur, homini tribuendum est.* *Natura enim divina*

verba Pauli, Quem constituit heredem omnium, &c: Confedit in <sup>Heb. i.</sup> dextra maiestatis in excelsis, de natura humana in eadem Homil. exponit. Quare Danæum cum sua caterua non tantum turpissime errare, sed etiam impiissime blasphemare, Christo Homini, contra manifestam scripturæ sententiam, omnipotentiam negando, certum est.

*Qui ubiq. corpus Christi esse non credunt, negant, aduersus ipsissi-  
ma Pauli verba, reconditos esse in Christo, iuxta humanita-  
tem assumptam, omnes thesauros sapientiae & scientiae: quoni-  
am volunt Christum ea tantum scire, qua homo es, quæ ad of-  
ficium iudicis pertinent.*

Et sextum Argumentum Osiandri veterator Danæus adulterat, ut se virum bonum non esse, ostendat. Immissetur enim ei Ubiquitatem, quasi Osiander per hanc, omnisciens tiam Christi hominis probare voluerit. Eius autem genuina forsan haec est. Dogma à S. literarum testimonio dissentiens repudiandum & damnandum est. Zwingianum dogma à scriptura dissentit. Affirmat enim Christum iuxta naturam assumptam, etiam in statu maiestatis, non omnia scire. Scriptura vero asserit in Christo reconditos esse OMNES thesauros sapientiae & scientiae. Ergo Zwingianum dogma repudiandum & damnandum est. Ad hoc quid Danæus:

*Respondemus (inquit) nos vera fide palam proficeri & toto pe-  
tore credere, D. N. Iesum Christum etiam, qua homo es, ea  
gloria, maiestate, scientia, potentia, omnibusque alijs (quæ in  
creatam ullam naturam cadere possunt) Dei donis exornatum  
ac prædictum esse, ut & supra Angelos omnes ineffabiliter emi-  
neat, & sit haec ipsius gloria & maiestas etiam Angelis ipsis in-  
effabilis ac incomprehensibilis: tamen negamus eam ipsam ma-  
iestatem, gloriam, scientiam, potentiam (quam Christus Homo à*

declaratio  
fusq; oratio  
doctri

## 218 Responsio pro Antisturmio D. D.

Patre accepit) esse vel origine siue tempore, vel genere, vel rerum ipsarum quas scit, quasq; per eam potest, numero & ipsis agendi viribus, id est (ut in scholis loquuntur) & extensiue & intensiue illi & gloriae, & maiestati, & scientie & potentiae parem, aut aqualem, quam idem Christus habet, qua Deus est. Itaque cum Augustino & Ambroasio dicimus eundem Christum seipso & maiorem & minorem esse. Lyranus ipse in Ioannis Euangelium cap. 7. Versu. 16. docet in Christo etiam possit ipsius glorificationem duplicem scientiam inesse que minimè sit confundenda. Vnam quidem diuinam & acernam & Patri aqualem, illiq; essentialiem, quia Christus est Deus Patri aequalis: alteram autem creatam & longè inferiorem ac minorem illa eterna & superiori, quam habet Christus etiam quā homo est in cælo sedens ad dextram Patris, & summa supra creaturem omnes eminentia à Patre glorificatus. Huius autem nostræ fidei, ac orthodoxæ sententia ratio est, quod qui utrunque Christi gloriam, scientiam, potentiam, &c. confundunt, vel eas inter se exequant, prout dubio iij vel cum teterrimis hereticis Eutychianis humanam naturam possit eius glorificationem absorbent: vel cum Monophysitis (qui sunt propago Eutychianorum) ex duabus naturis vnam tantum compingunt: vel cum Monothelitis Monophysistarum successoribus, in Christo (quem tamen astute & Deum & hominem fateri ad tegendos errores videbantur) vnam duntaxat voluntatem, scientiam, potentiam, &c. esse imaginantur. Ergo utrunque & scientiam, & potentiam, & manifestatem in uno & eodem Deo & homine Christo distinguimus, non tamen separamus: imparem facimus, non tamen inesse negamus: veriq; natura quod suum est relinquimus, naturas autem ipsas, aut earum essentiales proprietates neque confundimus, neque absorbemus. Ex quo sit, ut quia tanta est Christi

etiam hominis maiestas & gloria (quantam antea diximus, quantaque illi ipsi necessaria est, cui vni Pater dixit, sede à dextris meis) dicamus etiam Christum non ea tantum iuxta naturam assumptam scire, & posse, quæ ad iudicis officium pertinent (id quod dunt auctorat à nobis dici configuris) sed in vniuersum quicquid ad totum mediatoris officium, quicquid ad Domini, quicquid ad Regis erga vniuersam Dei Ecclesiam munus, denique quicquid ad totius huius mundi gubernationem pertinet, illud de omnibus creaturis sit, illud in omnes potest, illud de omnibus & singulis ordinat, illud in omnibus efficit D. N. Iesus Christus etiam quâ homo est, quia sedet ad dexteram Patris, dataque est illi omnis potestas in cælo & in terra, id est, in res omnes creatas, siue illæ sint cœlestes, siue terrena, siue subterranea, & efficacitate virtutis spiritusque sui omnia implet. Hæc est igitur nostra pia orthodoxa perpetuæ Sacra Scriptura testimonio confirmata sententia, de omnipotencia, omniscientia, & (si quis ita appellare velit) omnimaiestate ac gloria Domini, ac seruatoris nostri Iesu Christi in assumpta à se natura, id est, humana. In quo nequaquam refutamur a Paulo, ut putas, qui ait, omnes thesauros sapientie ac scientie esse in Christo. Nam loquitur Paulus de tota Christi persona non de humana tantum eius natura. Persona autem Christi duabus illis naturis constat, quarum una diuina est, cuius respectu verè dicuntur ἀπόλλως inesse in Christo omnes thesauri sapientie, cum sit ipsa sapientia Patris. Quod si quis etiam ad naturam Christi humanam referenda velit hac ipsa Pauli verba, In eo sunt omnes thesauri sapientie & scientie, quia ex eius plenitudine, quemadmodum ait Ioannes, omnes accepimus, per nos etiam id facere potest. Responsum enim tunc, vocem, O M N E S, comparatè ad omnium

220 *Responso pro Antisturmio D.D.*

cuiusvis generis & prærogatiæ creaturarum sapientiam, sci-  
entiamq; accipi, quæ pre Christi scientia & sapientia ne exi-  
guæ quidem sit sapientiae illius particula, & velut ad mare  
totum aqua guttula, aut ad totum solem quadam tantum lu-  
cis scintilla. Quanquam quomodo Chrysostomus illum Pauli  
ad Colos. locum explicet, foreasse non ignoras. Nolo autem in  
hunc locum transcribere ad meæ sententiæ confirmationem, quod  
& Basil. lib. 4. contra Eunom. & Nazian. Oratio. 2. de Filio  
scribant, explicantes hoc dictum Christi Mar. 13. De die illo  
& hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque filius, nisi Pa-  
ter. Quoniam etiam cum illis Lutherus ipse refert Mar-  
ci verba ad idioma naturæ humanae, in concione quadam  
enarrans illum eundem Marci locum. Et hoc quidem ad  
sextum argumentum tuum Osiander nostrum est respon-  
sum.

Naturam huminam Christi non tantum creatâ & infi-  
nitâ gloria, maiestate, scientiâ & potentia alijsq; coelestibus  
dotis exornatam esse: sed etiam per & propter vniونem  
Hypostaticam, realem νοιωνιαν habere cum ipsa maiesta-  
te, gloria, scientia & potentia, quam Christus Deus, à Pa-  
tre per generationem ab æterno accepit, scriptura mani-  
feste docet. Inquit enim Christus Ioan. 17. cap. Glorifica me  
Pater apud te ipsum ea gloria, quam habui priusquam mundus  
esset apud te. Hanc gloriam non esse finitam aut creatam, sed  
æternam & infinitam, quiuis sanæ mentis intelligit: haccq;  
non Christum Deum, sed naturam assumptam in tempore  
re glorificatam esse. Patres Orthodoxi testantur. Glori-  
am enim, quam λόγος ab æterno apud Patrem habuit,  
nunquam depositit. Ideo Cyrillus lib. 11. in Ioan. cap. 17.  
scribit: Petit ipse glorificari rursus à Patre, N O N A D-  
V E N T I T I A Q V A D A M G L O R I A, ut  
nobis

nobis petendum est: sed PROPRIA SVA ET NATURALI. Et postea: GLORIAM Igitur SVAM, QVAM SEMPER HABET UT DEVS, UT HOMO PETIT. Nec quia gloria unquam propriè expers fuit, hac ab ipso dicuntur, (nunquam enim Dei verbum ac Deus verus dignitate caruit sua) SED QVIA IN GLORIAM, QVAE SIBI SEMPER UT DEO ADEST, PROPRIVM TEMPVLUM REDUCE RE VOLEBAT. Eadem scriptura carni Christi dívapu viuificandi, quæ esse entiale attributum solius diuinitatis est, tribuit: Sanguini Christi potentiam iustificandi & mundandi à peccatis, (quod Dei proprium Isa. 43. & infinitæ potentiæ est) Ro. 5.1, Ioā. 9, Heb. 9. Christo homini omnem potentiam. Matth. vlt, Eph. 1. Omnes thesauros sapientiae & scientiae, Coloss. 2. Omnem deniq; plenitudinem Deitatis, eidem adscribit. Quæ singula nemo vir pius & eruditus finita & creata dona esse dicet: & hæc omnia in creatam naturam, hoc est, humanitatem Christi cadere, scriptura testatur. Nec tamen communicatione hac, ut dictum est, naturæ in Christo exæquantur; siquidem hæc de dívapu verbi sint, & humanitatis propria essentialia fieri nunquam possint. Ideoq; recte Augustinus & Ambrosius dixerunt, Christum seipso & maiorem & minorem esse, quia humanitas in eo, creatura semper manet & nunquam in naturam Verbi conuertitur. Nec etiam inficiamur, duplicitem in Christo secundum diuersas naturas, scientiam esse. Nam alio modo scit & intelligit, quatenus Deus & ipsa essentialis infinita, & æterna sapientia est: & alio modo quatenus homo: cuius tamen virtus dívapu à diuina sapientia ita perfecta est, ut beneficio vnionis cum mente diuina iam omnia nōrit. Et hoc est quod Paulus ait, in Christo rationabili patet

222 *Responsio pro Antisturmio D. D.*

omnes thesauros sapientiae & cognitionis absconditos esse: quod de humana natura intelligi necesse est, ratione cuius in Christo abscondita esse dicuntur, quæ Verbum sua natura est. Et quamuis in puncto statim conceptionis, omnes thesauri sapientiae & cognitionis in Christo fuerint: quia tamen in similitudine hominum constitutus, figura respectus est ut homo, thesaurus hic Diuinitatis ab hominibus agnitus non est. Et hoc suo latente thesauro, puer duodecim annorum intellexit scripturas, quas nunquam didicerat: cognovit cogitationes Pharisæorum: naturaliter absens Nathanaëlem sub ficu, & Lazarum mortuum vidit, & sciuit (discipulis testantibus Iohan. decimo sexto) O M N I A. Hanc communicatam omniscientiam, vos Christo homini denegatis, & præter creatam ei nullam adscribitis, quod scripturæ manifestè repugnat. Hæc enim & naturas ipsas, earumq; essentiales proprietates accuratè distinguit: & simul etiam humanitati Christi diuinam gloriam, potentiam & scientiam, ut modò demonstratum est, tribuit: & haec tribuendo ipsi, non propterea humanam naturam cum Eutychianis absorbet: nec cum Monothelitis vnicam tantum voluntatem, scientiam & potentiam esse imaginatur: sed utriq; naturæ sua essentia, illa, inconfusa & inexacta relinquens, diuinam gloriam naturæ assumptæ communicatam, non autem hanc illam transmutatam esse docet. Vos autem naturas, proprietates, & glorias earum, ita violenter distinguitis, ut humanitati Christi omnem maiestatem diuinam, quam ei scriptura plenissime tribuit, nefarie auferatis, impiam solitudinem hanc prætendentes & supra sapientiam sapere stultissime volentes, ne scilicet Christo homini

mini nimios honores tribuatis. Hinc illæ præclaræ voces:  
 Christum hominem ea gloriâ, maiestate, scientia & potentia præ- Pag. 92.  
 ditum esse, quæ in creatam vllam naturam cadere possunt: Et  
 tanteam esse Christi hominis maiestatem & gloriam, quanta illi Pag. 101.  
 necessaria est. Hec non Christiana, sed plane Diabolica vox  
 est, qual limitatur & mensuratur gloria eius, qui spiritum si-  
 ne mensura, potentiam, scientiam, & gloriam sine mensu-  
 ra, quia secundum scripturam, omnem, æternam, & infi-  
 nitam, accepit. Et si Christi hominis ea tantum maiestas  
 & gloria est, quam tu dixisti, hoc est creata, tum non sedet ad dexteram Dei, non omnia scit, non omnia potest quæ ad Mediatoris, Domini, Regis, & Gubernatoris totius mundi & iudicis vniuersorum, officium pertinent. Huius enim est omnia scire, omnia posse, & cor omnium filiorum hominum (quod solius Dei est, 3. Reg. 8.) nosse, alioquin verus, idoneus, & iustus iudex, Rex, & Gubernator totius mundi esse nequit: quæ cum vos confessione vestra Christo homini adimatis, quid aliud agitis, quam ut illum ab officio Mediatoris, Gubernatoris & Iudicis totius mundi, remoueat? Ex quo etiam cognoscere licet, vestram sententiam de omnipotentiâ, omniscientia & omnimaies-  
 state Christi hominis, impiam, hæreticam, & scripturæ S. quæ humanitati assumptæ omnia illa tribuit, minimè con-  
 sentaneam esse. Et quod ad præsens argumentum de omniscientia attinet, expresse vos Paulus refutat, scribens: In Christo omnes thesauros sapientiae & cognitionis absconditos esse. Nam si Paulus de tota persona Christi, ut ait, loquitur: Ergo etiam de humana natura Pauli hoc verum est: & quidem respectu huius in primis omnis scientia, & omnis sapientia in Christo abscondita esse dicitur, quia eodem Apostolo teste, omnis plenitudo Deitatis in eo qui caput est

224 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

est omnis principatus ac potestatis, hoc est, Christo homine, corporaliter habitat: respectu autem diuinæ naturæ, nihil inesse, nihil inhabitare, sed omnia ἀπλόες E S S E, propriæ dicuntur. Quæ cùm verissima & certissima sint, quis non detestetur præstigias istas Danæi, quibus cum omnem scientiam Christo homini tribuere videatur: reuera tamen solim comparationem secundum magis & minus inter scientiam & sapientiam Christi hominis, & reliquarum creaturarum instituit. Christo enim homini creatam & finitam scientiam tantum adscribit pag. 99. quæ cum reliquarum creaturarum sapientia & scientia, vt finita cum finita, maxime comparabilis est: & hæc omnis, respectu infinitæ sapientiae Dei (non autem finita Christi respectu finitæ creaturarum, vt Danæus nugatur) ne quidem exigua sapientia particula, & velut ad mare totum aquæ guttula, aut ad totum solem quædam tantum lucis scintilla est. Christi vero hominis sapientia, de qua Paulus dicto loco verba facit, cum sine mensura & infinita sit, creaturarum autem finita: ideò comparationem, vt quæ toto genere differant, nullam admittunt. Et Chrysostomus, quem nominas, in explicatione huius loci controuersi, planè nobis scum facit, scribens: *Ipse nouit omnia, proinde omnia ab ipso perere oportet: ipse dat sapientiam & scientiam.* Quod thesauros quidem dicit, copiam ac multitudinem: quod vero addit: O M N I S, nihil ab eo ignorari: quod autem subiungit, R E C O N D I T I, ipsum solum omnia scire, declarat. Non minus etiam Basilius lib. 4. contra Eunomium explicans hoc dictum Christi, Marc. 13. Cæterum de die illo ac tempore nemo nouit, ne Angeli quidem, qui in cœlo sunt, nec ipse filius, sed filius Pater, nostram sententiam, non tuam confirmat, dicens:

Nam

Nam qui usque ad horam illam omnia nouit, dixit enim ea, quo pacto horam illam ignorabit? Frustra vero & Apostolus diceret, in quo sunt omnes thesauri sapientiae & cognitionis absconditi. Christus autem homo etiam, non tantum Deus, us, usque ad horam illam omnia accurate nouit, sicuti nos in Evangelio Matthæi, capite vigesimo quarto, copiosè docuit. Et in Christo homine, non tantum Deo, omnes thesauros sapientiae & cognitionis absconditos esse ostendimus, quamobrem & ipse diem hunc nouit. Sed quomodo diem supremum ignorare se dicit? Respondet Basilius eodem in loco. Quoniam non conferebat hominibus iudicij tempus audire, idcirco reticuit. Nam expectatio perpetua feruentiores ad pietatem reddit. Cognitio vero, quod multum tempus intererit, negligentiores ad pietatem fecisset, cum speramus nos postea penitentes posse saluari. Eandem plane dicti huius expositionem, Nazianzenus in oratione secunda de filio repetit, inter cætera scribens: Qui accuratè nouit ea, quæ horam illam præcedunt, quæque velut ipsam finis cutem stringunt: horam ipsam ignorat? Id vero enigma simile fuerit. Quemadmodum si quis accuratè se dicat sciens, quæ ante murum sint, murum ipse non nosse: vel diei finem scire, principium noctis ignorare: in quibus alterius cognitio, necessario alterum quoque secum trahit. Sed Christus quoque homo exquisitè nouit ea, quæ horam iudicij vltimi præcedunt. Ergo horam ipsam ignorare non potest. Subiungit autem Gregorius, Num intelligere cuiusvis facile potest, quod non rit ut Deus: ignorare se dicat ut homo; si quis id, quod in oculos incurrit, ab eo quod intelligitur, separat? Hæc verba posteriora Elias Cretensis Episcopus Nazianzeni Paraphrastes, hoc modo exposuit: Serui forma, quam Dominus

Ff assumpit,

226 Responso pro Antisturmio D.D.

assumpit, secundum se quidem considerata, ut creatum quiddam, & serua est ( nam hominis natura Dei mancipium est, qui eam condidit ) & futurorum cognitionem nullam habet, quamquam ex gratia nonnunquam id consequatur. Verum ut propter hypostaseos siue personae identitatem & indissolubilem unionem viuiscus audebat: ita & futuroram cognitione collocupletatus est. Nam cum VNVSSIT CHIRSTVS, NON POTES TESTIMVL & seruus esse sui ipsius, & Dominus: SCIRE PARITER ET IGNORARE: quam quidem diu unus esse intelligitur propter unionem hypostaticam, quæ & ineffabilis est & indissolubilis. Si vero per exiles mentis cogitationes (nam caro qui res confieri nequit) assumptum ab eo qui assumpit, separauerit: tum scilicet assumptum, & mancipium erit, & ignorare dicetur. Atque eatenus nunc quoque dicitur hominum illam & diem Dominus ignorare, nimirum ut homo. Nam de hominibus futurorum ignoratio scripsit ac prædicatur, sicut ait Damascenus.

In candem sententiam & nos cum Luthero profites mur & credimus, Christum hominem, quæ homo est, in statu exinanitionis suæ diem extremum ignorasse: quatenus vero omnes thesauri sapientiae & cognitionis in eo habitant, ignorare eum neutiquam posse. Et hæc de sexto Osiandri argumento.

Septimū  
Argumen  
tum Osia  
dii.

Qui corpus Christi ubique esse negant, dividunt operationes in Christo, & separatim alias Diuinitati, alias humanitati tribuunt: qui est iamdudum damnatus Nestorianorum error.

Ne quid Danæus de copta malitia remittat, etiam hoc de operationibus Christi argumentum peruersè recitat, & ubiq

vbiquitatis nomine odiosum reddere lectori studet. Est autem tale.

Scriptura proponit nobis talem Christum, qui iam in gloria TOTVS, plenam totius orbis terrarum administrationem obtineat, & operationes utriusque naturæ cum communicatione alterius edat. Cingiani autem diuidunt operationes in Christo, & separatim alias diuinitati, alias humanitati tribuunt: qui est iam dudum damnatus Nestorianorum error. Itaq; Nestorianum Cingianorum dogma abijcimus & damnamus. Ad hoc Danæus responderet: Nequaquam verò operationes Christi separamus, Osiander, ut neque ipsum Christum in duo vñisquæ diuidimus: sed distinguimus tantum in una, & eadem Christi Dei & hominis persona operationes Deitatis proprias ab ijs, que sunt humanitatis in eodem Christo propria. Ambros. Non enim Christum diuido, cum carnis eius, diuinitatisq; distinguo substantias. Quod postea Leo 1. Episcop. Romanus pulcherrime docuit. Quod contra Eutycheten Vigilius Episcop. Pater & scriptor Orthodoxus scripsit. Quod antea & Ephesinum, & Chalcedonense concilium confirmauit. Ergo totus Christus plenam totius orbis terrarum administrationem obtinet quidem, non est tamen Christus utraq; sui naturæ Deus. Totus quidem Christus, ut ait August. & vbiique est, & omniscius, & omnipotens. At non tamen totum Christi, quia in Christo verè nostro Emanuele sic duæ naturæ unam ipsius personam efficiunt: sic etiam posse Christi glorificationem in Christo perseverant, ut quemadmodum ἀχριστούς καὶ ἀδιάφορους unitæ sunt: sic ἀσυγχώτους καὶ τεμέντους manent. Id quod, ut dixi, in Chalcedonensi concilio (quod vestri, Osiander, admittunt) piju, & Orthodoxi patres iampridem definierunt. Non est autem idem, separare, & distinguere aliquid. In S. enim Trinitate personæ inter se distinguuntur, non separantur. In unoquoq; nostrum anima distinguitur à corpori, & veriusq; actiones: non autem in diuersum suppositū separatur.

228 *Responsio pro Antistarum D.D.*

Ergo, & quām pueriliter in confundendis his vocabulis, distinguere & separare, hallucineris: & quām falso nobis Nestorianorum errorem, aut quicquam illi simile affingas, per te ipsum vides, si tamen per te ipsum aliquid videre potes. Tu potius, tuque, ubiquitarij Nestorianorum errorem ex inferis reuocant, dum per illam omnium Deitatis essentialium proprietatum in humanam Christi naturam effusionem, hominem ipsi Deo in Christo exequant.

Quō aliquem colorem, Danæ, Nestorianismo tuo inducas, in verbis, separare & distinguere, ceu diversa significantibus, ludis. At res manifesta & ex scriptis vestris nota est, vos operationes Christi hoc modo diuidere & separare, vt alias soli diuinitati, cum quibus humanitatí nihil commune sit: alias autem soli humanitati, ad quarum perfectionem diuinitas verbi non concurrat, tribuat. Et hoc tibi est distinguere operationes cuiusque naturæ proprias, vt nimirum sala diuinitas propria omnipotentiae & omniscientiae opera sine humanitate cooperante efficiat: & vicissim humana natura, sua quoque propria agat, quorum diuinitas particeps non sit. At humanitas, quia peculiaris persona non est sed in verbo Dei subsistit, ideo nihil separatim absque diuinitate agit. Et hæc, quia in unitatem personæ humanitatem assumptæ, idcirco quoque eam operationum suarum consortem fecit. Et hoc est quod Damascenus lib. 3. de fide orthodoxa cap. 19. scribit, Non diuersas dicimus actiones, neque diuisè agentes naturas, sed unitæ unamquæcum alterius communicacione agentem id ipsum, quod proprium habuit. Neque enim humana humanè operatur, quandoquidem non nudus erat homo: neque diuina secundum Deum solum: Nam non erat nudus Deus, sed Deus simul existens & homo. Et paulo post, Nam duæ naturæ unus est Christus

# Osiandri, contra Lamb. Danæum. 229

Christus: & unus Christus duæ naturæ. Idem igitur est dicere: agit Christus secundum utraq. sui ipsius naturarum, & agit utraq. in Christo natura, cum alterius communicatione. Communicat igitur diuina natura carni agenti. Quapropter bona voluntatis diuinæ beneplacito permittebatur pati & agere, qua propria erant: & propter quod actio carnis omnino erat salutaris, non humanae actionis erat, sed diuinæ. Caro autem, diuinitate Verbi agente, propter hoc ut organo corpore diuinæ perficiebat actiones, & propter hoc ipsum etiam quod unus erat agens, diuinè simul & humanae. Quam nostram sententiam confirmat etiam Cyrillus in Ioan. lib. 4. cap. 23. scribens: *Quamuis natura carnis, ut caro est, viuificare nequeat, facit tamen hoc, quia T O T A M V E R B I O P E R A T I O N E M S V S C E P I T.* Idem cap. 7. de incarnatione vnigeniti, inquit, Idem in eodem Deus simul homo, & sua quidem dicit Deus Verbum ea, quæ sunt carnis propria: quia ipsius est corpus & non alterius. Communis autem facit tanquam cum sua carne diuinæ suæ maiestatis operationes, ut posset etiam viuificare mortuos & sanare infirmos. Et capite sequente octauo. Ceterum tanquam in imagine, licet in carbone conspicere, adunatum quidem humanitati Deum Verbum, non tamen proiecisse quod fuerat: transformasse autem magis assumptam naturam, in suam gloriam & operationem. Quemadmodum enim ignis ligno affixus, & in id penetrans, comprehendit quidem ipsum: & quamuis lignum esse non desinat, vim tamen suam speciemque omnem transmittat, seque confert in lignum, & cum ipso iam quasi unus aliquid estimatur. Idem intellige & de Christo, adunatus enim inestimabiliter humanitati Deus, seruavit quidem ipsam in eo quod fuerat, & ipse permanxit quod erat: semel tamen adunatus quasi unus iam cum ipsa putatur, *E A Q V A E S V N T*

230 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

ILLIVS, SVÆ FACIENS: CON-  
FERENS AVTEM EI ETIAM  
IPSE NATVRÆ SVÆ OPERATI-  
ONEM. Sed quid ineptius, interrogantibus & disser-  
tentibus nobis de operationibus Christi, te de natu-  
rarum distinctione ex Patribus respondere? Diuersissi-  
ma siquidem sunt, diuidere operationes in Christo, quod  
Nestorianum est: & distinguere substantias carnis & ver-  
bi, quod fides orthodoxa postulat. Sed parum referre pa-  
tat Danaus, quid & quam recte dicat, modo Patres &  
leges Iesuitarum & Rabularum more subinde crepitet,  
quo aliquid dixisse imperitis videatur. Christum vtracq;  
sui natura Deum esse nemo nostrum dixit: sed eum to-  
tum secundum vtracq; naturam omniscium, omnipoten-  
tem, & omnipræsentem esse (suprà tamen posito discrimi-  
ne) cum scriptura confitemur. Si enim totus Christus,  
ut Augustinus ait, & vbique est & omniscius & omni-  
potens, certe & Christus qua homo. Totus enim Chris-  
tus non tantum Deus, sed Deus & homo simulest. Sed  
Lib. 3. Di<sup>s</sup> addis ex Lombardo, *At non tamen totum Christi.* Siboc de-  
stinet.<sup>22</sup> natura humana in se & per se, vt creatura est, considera-  
ta intelligis, mentem tuam accipimus: sin vero (quod facis)  
diuinam maiestatem simpliciter ei denegas, eam repudia-  
mus. Humanitas enim si sola per se & ratione substanz-  
iae suæ consideretur, nec omniscia, nec omnipotens, nec  
vbique est. Cum vero incarnationis mysterium lauda-  
bili cura scrutati fuerimus, & omnem plenitudinem Dei  
tatis in carne corporaliter habitantem cognoverimus:  
quamuis nihil penitus humanitas per se ipsam eorum que-  
diximus, sit, illa tamen factam esse credemus. Nam quo-  
niam

niam cum omnipotente, omniscio & omnipræsente Verbo coniuncta est, ipsa quoque omnipotens, omniscia, & omnipræsens effecta est. Si enim mel, cum natura liter dulce sit, ea dulcia facit, quibus immiscetur. Non ne stultum erit, omnipotentem, omnisciam, & omnipræsentem Verbi naturam, putare non dedisse homini, in quo plenitudine sua habitat, omniscientiam, omnipræsentiam & omnipotentiam. Præsertim cum summi cum ea cōiuncta totam vitam eius hauserit. Agnoscis hæc ex Cyrillo per Analogiam desumpta esse, quæ cum scripturæ testimonijs prius confirmata sint, firma fide illa suscipimus. Et hæc assumptæ naturæ tribuentes, nequaquam illam in assumentem commutamus, neq; cum ea confundimus: sed utramq; saluam & integrum iuxta scripturam & consilij Chalcedonensis decretum retinentes, maiestatem Christi hominis, quam vniōnis & sessionis ad dextram Dei virtute accepit, asserimus. Hanc autem dum vos ei derogatis, simul quoque ipsum à mundi gubernaculis remouetis. Totus enim orbis terrarum non nisi ab omni scio, omnipotente & vbiique præsente gubernatore recte & iuste administrari potest. Ex quo etiam patet, vos non tantum distinguere, sed etiam operationum ratione separare naturas, vt λόγος multa sciat & efficiat, cum quibus humanitas communionem nullam habeat. At Cyrilus ait, naturam carnis T O T A M verbi operationem suscepisse. Et Damascenus libro tertio de fide orthodoxa, capite decimo septimo scribit: Neque caro Deificata à propria versa est natura, aut à naturalibus proprietatibus. Manserunt enim & post vniōnem naturæ inconfusa & earum proprietates illæsa. Caro autem D O M I N I diuinis

Cyril, lib.  
4, in Ioan.  
cap. 23.  
& 24.

232 *Responsio pro Antislurmio D.D.*

nis actionibus dicata est, propter purissimam ad verbum uniti-  
nem, id est, hypostasin: nequaquam passa elapsione eorum, qua  
secundum naturam ei propria sunt. Non enim secundum propri-  
am actionem, sed propter unitum sibi verbum diuina operatur,  
verbo per eam, propriam manifestante actionem. Nam & vir-  
ginatum ferrum, non naturali ratione vniuersum possidens actio-  
nem, sed ex unitione ignis ad ferrum illud obinet. Et capite de-  
cimo nono. Communicat mens Christi operanti Diuinitati ver-  
bi, dispensanti & gubernanti uniuersum intelligens & cognoscens  
& dispensans, non ut nuda hominis mens, sed ut Deo secundum  
hypostasin unita & Dei mens constituta. Et humana eius actio  
diuina erat, id est, Deificata, & minime diuina actionis immu-  
nis. Et diuina eius actio non immunis humanae actionis, sed vera  
que cum altera conspecta est. Quemadmodum enim anima  
hominis natura sua a corpore differens, potentias suas per  
illud exercet, & cum illo agit: Ita quoque λόγος cum hu-  
manitate sua & per eam in dextra maiestatis iam consti-  
tutam, omnia operatur. Quare cum vos operationes in  
Christo manifeste separatis, Osiander (quem falso voca-  
bula, distinguere & separare, confundere ait) merito Ne-  
storianorum errorem vobis adscribit. Verum per sum-  
mam sapientiam vestram, qua etiam scripturam, capti-  
uam ducitis, vel potius, ἐπ τοῖς διαλογισμοῖς ὑμῶν ματαιόθε-  
τες, errare & hallucinari vos videre non potestis. Deni-  
que cum nostri, & exequationem naturae assumptae cum  
Deo assumente, & proprietatum essentialium Deita-  
tis in naturam humanam effusionem, aperte impro-  
bent ac damnent: te ipsum impudenter calumniari af-  
figendo eis Nestorianum vel Eutychianum errorem, et  
videns est.

Joannes Aegidius  
Bartholomeus  
Leyen

Offic.

Octauum & vltimum istius Vbiqitarij aduersus nos argumen-  
tum est. Errare eos, qui secum non consentiunt, quoniam  
Christum, & secundum Deitatem, & secundum humanitatem  
vbiique esse negant: cum tamen dixerit Christus, Ego vobi-  
scum usque ad consummationem seculi.

Solum octauum argumentum Osiandri, de omni  
præsentia totius Christi proprie agit: Ad quam tamen  
priora etiam Danæus violenter & subdole quo illis gra-  
tiam omnem adimeret, detorsit. Sed & hoc vltimum Sy-  
cophanticè proponit, quasi dicamus, Calvinistas negare  
Christum etiam secundum Deitatem vbiq; esse. Verum  
istud Argumentum sic habet: *Christus totus, Deus & homo,*  
dixit: *Ego vobissem sum omnibus diebus, usq; ad consummatio-* Matth. 28,  
*nem seculi. Cinglani autem tanquam absurdissimam absurditatem*  
*explodunt, quod Christus iam in gloria etiam secundum humani-*  
*tatem sit vbiq; Ecclesiæ in terris præsens: Et affirmant eum iux-*  
*tabanc naturam nusquam esse nisi in cælis, loco ita circumscri-*  
*ptum, ut alibi non sit vlo modo. Ergo Cinglianum dogma tan-*  
*quam manifestis Christi verbis reclamans execrandum & dam-*  
*nandum est. Ad hoc Danæus respondet.*

Primum vel ineptit Osiander, uti & Pappus, velfortiter dissi-  
mulat nostram sententiam, ne aperte iam videatur calum-  
niari. Constanter enim & assueranter cum Augustino dici-  
mus, docemus, & affirmamus, *Totum quidem Christum esse*  
*vbiq;* Non autem Totum Christi. Nam non est consequens,  
*quemadmodum ait idem, ut quod est in Deo, ita sit vbiq; ut*  
*Deus. Cauendum enim est, ne ita Diuinitatem astruamus ho-*  
*minis (Christi) ut veritatem corporis auferamus. Neq; enim* August. Epist. 57,  
*secundum hanc formam (id est, secundum carnem) putan-*  
*dus est (Christus) vbiq; diffusus. Carni quidem suæ dedit im-*  
*mortalitatem, naturam non abstulit. Una igitur persona Deus*  
*& homo est, & verum est Deus Christus Iesus, vbiq; per id*

234. *Responsio pro Antisturmio D.D.*

*quod Deus est: In caelo autem per id quod homo. Quid aperi-*  
*tius dici potest pro nobis?*

Primum Osiander nec ineptit, nec dissimulat, nec calumniatur vestram sententiam: sed eam, quam ipse statim prodidit, bona fide recitat, ut tu scribens haec, non tantum ineptire aliosque ex tuo ingenio iudicare, sed etiam prorsus insanire non attendens quid effutias, videaris. Deinde crimen falsi in eo committis, quod verba haec, *Totum quidem Christum ubique esse, non autem Totum Christi,* Augustino affingis, cum sint inanis subtilitas Lombardi. Et quidem si humanitatem Christi, (respectu cuius hoc dicitur) in sua natura & Physic'e consideres, circumscriz pra& non ubique erit. Ratione vero Maiestatis, quam per Unionem cum λόγῳ, & collocationem ad dextram Dei accepit, nequaquam verum est, *Totum Christi non esse ubique.* Si enim *TOTVS Christus ubique est,* (te 86 Lombardo confidente) quomodo non etiam *TOTVM Christi,* hoc est, secundum utramque naturam? Nam *TOTVS Christus non tantum Deus, sed etiam homo* est. Et si sola Diuinitas ubique est, non *TOTVS Christus,* sed tantum dimidius ubique erit. Sed addis ex 57. Epist. August. ad Dardanum, *Non est consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique ut Deus.* Neque nos adeò amen-  
tes sumus, ut assumptam naturam *ITA VIT* assumen-  
tem ubique esse dicamus. Haec enim per se & sua natura  
ubique est: illa autem per Unionis & Sessionis ad dexteram Dei gratiam, qua ut omnia scit, omnia potest, ita quo-  
que omnibus rebus *Alia sunt;* in dextera Dei constituta,  
præsens esse potest. Et hac ratione Maiestatem Christi  
hominis secundum Scripturam asserimus, veritatem eius  
non auferimus. Credimus enim, confitemur, & doce-  
mus,

mus, Christum venturum esse (ut Augustini verbis utar) quem-  
 admirum ire visus es in cœlum, id est, in eadem carnis for-  
 ma atque substantia, cui profecto immortalitatem dedit, na-  
 turam non abstulit. Secundum hanc formam (hoc est visibili  
 lem, qua iuit in cœlum, & venturus est ad iudicium) non  
 est putandus ubique diffusus. Hic tu veterotestimoniæ senten-  
 tiam Augustini peruerbis, & vocem formam per carnem  
 exponis, cum manifestum sit eum de forma visibili lo-  
 qui, quæ cum carne Christi non vnum & idem est.  
 Quod vero ex Augustino subiçcis, una persona Deus &  
 homo, & utrumque est unus Christus Iesus, ubique per id quod  
 Deus est, in celo autem per id quod homo. Ad hoc respons-  
 det Philippus in libello Testimoniorum Patrum: Neque  
 vero quisquam mihi persuaserit, Augustinum hoc loco sic al-  
 ligare corpus Christi ad vnum locum, ut alibi esse non posse.  
 Quid enim afferri potest præter humane rationis iudicium,  
 cur hoc loco includamus Christum in vnum locum? Quibus  
 addo ex Scriptura: Si Christus homo altior cœlis factus  
 est: & penetravit cœlos, quomodo ergo definito cœli Heb. 7.  
 loco comprehenditur ut alibi non sit? Si Deus sedere  
 fecit eum in dextera sua, qua ratione in certo cœli lo- Heb. 5.  
 co sedere, a vobis dicetur, cum dextera Dei nihil loca- Ephes. 1.  
 le sit? Et si sedere fecit eum super O M N I M principa-  
 tum ac potestatem & potentiam & dominium, quo-  
 modo vos eum potestati, potentia, & domino loci  
 subiçitis? Si omnia subiecit sub pedes eius, Et 1. Corinth.  
 15. cap. O M N I A illi subiecta sunt præter Deum, quo-  
 modo ipse loco subiectus erit, & quidem in dextera Dei,  
 ubi locus non est? Sique dedit eum caput super omnia  
 ipsæ Ecclesiæ, quæ est corpus illius, complementum  
 eius, qui omnia in omnibus adimpleat, quomodo

236 *Responsio pro Antisturmio D. D.*

vos illū à corpore suo auellitis, vt tanto interuallo a membris suis absit quanto cœlum à terra distat? Si deniq; supra omnes cœlos ascendit vt O M N I A impleret, quid euidens tuis quām ipsum cœli loco ita non capi, vt ante diem restitutionis nobis in terra præsens esse non possit? In his omnibus Spiritus veritatis nullius loci, nullius circumscriptionis mentionem facit, sed summæ potentiae, summae Maiestatis supra omnem creaturam. Quæ igitur impietas hæc vestra est, vt eum qui omnem principatum, omnem potentiam, & omnes creaturas subiectas habet, loco subiicit? Et quidem tam arctis limitibus Physicis circumscripti batis, vt omnipotentia sua efficere nō possit, quo simul in pluribus locis sit? Christus disertis verbis affirmat, Ecce ego vobiscum sum omnib. diebus usq; ad consummationem seculi. Quis est ille E G O? Verbum incarnatum, Christus T O T V S & indivisius Deus & homo, qui etiam Pau lo Hierosolymis captiuo iuxta promissionem hanc astitit, eumq; præsens consolatus est. Act. 23. Hunc Scripturæ verissimum sensum, tu fruola instantia eludis, scribens: Quod si quoties pronomen E G O à Christo usurpatum, de veraq; eius natura intelligendum est hoc pronomen, an non consequetur Christum perpetuò hominem fuisse, quoniam dixerit, antequam Abraham esset, ego sum, vt alia infinita omittam? Hæc igitur est prima Osiantri in nos calumnia: quod inter totum Christum, & totum Christi, inter Christum uniuersali ter, & sigillatim consideratum distinguere non potest vel hic, vel infra pag. 25. Vbi sic magno errore concludit, Christus Deus, & homo sue Ecclesiæ in primis adebat: Ergo & huma nitas Christi ubiq; est. Nos igitur concedimus totum quidem Christum, i. eum Christum (qui verè & Deus & homo simul est) ubiq; esse. Secundum autem utramque naturam ubiq; esse pernegamus.

An

An verò ignoras rationem temporis nos cogere, ut in hoc loco Ioannis, pronomen E G O, de sola persona V E R B I intelligamus, cùm tempore Abrahæi verbū nondū caro factum fuerit? In illo vero dicto Matthæi, nulla necessitas nos cogit, ut tantum de verbo, & non etiam de tota persona Christi secundum vtrancq; naturam, voculam E G O accipias. Imo nisi Christum de dextera Dei detrahere velimus, eiq; principatum, dominium, potestatem, & potētiā supra omnes creature adimere, & eum, qui omnia subiecta habet loco subiecte, necesse est, ut secundum Scripturā fateamur, Christū etiam hominem tanq; caput nostrū nobis suis mēbris adesse omniaq; implere. Quare Osiander non vos, tuo more, calumniatur, sed vestram sententiam Germana fide recitat, quam etiam tu ipse his verbis proponis: *Christū secundum vtramq; naturam ubiq; esse pernegamus.* Nos aut̄ cum Scriptura, & inter naturas Christi distinguimus, & Christū secundum vtramq; naturam Ecclesiae suæ adesse affirmamus, sed hoc discrimine: Quod Christus Deus per se & sua natura vbiq; sit, Christus autē homo per gratiam vniōnis & selectionis ad dexteram Dei vbiq; presentem. Hęc Osiander his verbis, quae tu mutilasti, expresſit: *Totus Christus secundum vtramq; naturam (propter vniōnem personalem, & quia sedet ad dexteram Patris) omnia quae vult, efficere potest, omnia videt atque nouit, omnibusq; locis vere præsens est, deniq; omnia gubernat præsens in celo & in terra.* Paulus enim dicit, *Christum supra omnes celos ascendisse, ut OMNIA impleret.* Ac ipse Christus inquit: *Miki data est OMNIS POTESTAS in celo & in terra.* Et quia Christus Deus & homo, Ecclesiae suæ in primis adest, eandē pascens, regens ac protegens, credimus & docemus, quod corpus & sanguinē suum in sacra cœna, vbiq; ea in mundo celebratur, vere cum pane & vino exhibere POSSIT, & quidem VELIT, quia ad facturū se promisit. Et hæ præstigia Caluinianæ & tene-

240 *Responsio pro Antisturmio D. D.*

bræ Lombardi sunt dicere, Totum quidem Christum, qui  
verè Deus & homo simul est, vbiq; esse, sed non Totum  
Christi. Quomodo n. Totus Christus vbiq; est, si Eum se-  
cundum vtranc; naturam vbiq; esse pernegas. Et Christus  
sine sua humanitate nusquam Totus, sed tantum dimidius  
est. Magno igitur errore concludis, Christum quidem To-  
tum vbiq; esse, sed non secundum vtranc; naturam. Sic spi-  
ritus tenebrarū & mendacij, non aut veritatis, ludere solet.

Altera istius hominis fraus in eo est, quod ambiguè loquitur. Nā  
si illud suum, secundum humanitatē, sic intelligic, ut significet, ac ve-  
lit Christo Deo (qui vbiq; est) semper hypostaticè unita esse humani-  
tate, quam semel assumpit, & quam nunquā deserit, nos quoq; idē fa-  
temur. Gratiā n. unionis, id est, propter hypostaticā illā naturarum  
inter se vniōne de Christo dici potest, Christū hominē esse vbiq; quia  
Deitas, cui hypostaticè humanitas unita est, vbiq; est, & quia qui De-  
us est vbiq;, indiuisè semper retinet unitā sibi humanitatē. Ipsa vero  
humanitas Christi re ipsa vbiq; esse non potest. Neg. n. consequē, aut  
necessē est, ut quae hypostaticè inter se unita sunt, uno & eodem simul  
in loco sint, aut æqualiter coextendantur. Deniq; quod affers ex Mat-  
thæo, Ego sum vobiscū usq; ad consummationē seculi, de spiritu illo,  
de virtute, de potētia, de maiestate, qua ut Deus vbiq; est Christus,  
hoc ipse dixit: nō de præsentia suæ humanitatis, & carnis, quam su-  
pra oēs cælos istos euexit, quemadmodum & humana Christi nature  
veritas docet, & Angeli ipsi dicētes, surrexit nō est hic, & Apostolici  
symboli hic articulus. Ascendit in cælū, ita à Luca ipso interprete  
verissimo explicatus: et pia semper antiquitas credidit, & optimus  
deniq; illius loci cōmentator Augustinus exposuit. Atq; hæc testi-  
monia satis superq; sufficient, quum præsertim Osiander nullas om-  
nib; ipso istius libello planè & ieunius, & tamē arrogatiū. Vnū  
modo pro misera, & tamen tantoperè adamata à se Vbiuitate &  
Helena testimoniū ex Cyrillo, & Theophylacto tandem in toto illo  
libro post diuturnam defatigationē depromit, quod tamē vel igno-  
rantur,

# Osiandri, contra Lamb. Danœum. 241

ranter, vel malitiosè deprauat. Ac primum quidem quod sumit ex  
Cyrillo, ab isto esse pessimè corruptū ipsa Cyrilli verba demonstrant.  
Sunt aut̄ hæc in illa verba Ioan. cap. 19. Milites ergo cū crucifi-  
xissent Christū, acceperūt vestimenta eius, & fecerūt quatuor par-  
tes, &c. *Cyrillus.* In quatuor partes vestimenta diuisa sunt, & tu-  
nica indiuisa remansit, quod mysticè cuiusdā rei signū fuisse dixe-  
rim. Nam quatuor orbis partes ad salutem reductæ indumentum  
verbī, id est, carnem eius impartibiliter inter se partitæ sunt. In  
singulos. n. partibiliter transiens vniogenitus & animā, atq; corpus  
eorum per carnem suam sanctificans, IMPARTIBILITER  
ATQVE INTEGRE IN OMNIBVS EST, CVM  
VNVS VBIQVE SIT NVLLO MODO DIVI-  
SVS, sicut Paulus ait, 1. Cor. 1. Hæc verba Cyrilli aperte eo perti-  
nent, ut doceamus vniuersam totius orbis Ecclesiam, quiq; in ea  
sunt singulos verè fideles ab uno, non pluribus Christis, ab una non  
varia eiusdem Christi carne spiritualiter per fidem ali & sanctifi-  
cari, pro mēsura nimirū, quam cuiq; nostrū dare visum est Domino.  
*Osiander tamē ad Ubiquitatē carnis Christi probandā ista profert,*  
quasi ea & sanctificatio, & alimonia nostra, quæ fide fit, corporalis  
carnis Christi præsentiae modū & situm requirat. Quod. n. dicit Cy-  
rillus, Christū impartibiliter atq; integrè in omnibus esse, & unum  
vbiq; significat, Christū neq; discerpi membratim per illā sui cum  
rotō suā Ecclesiā vbiq; diffusæ corpore cōmunicationem & coniun-  
ctionē: Neq; etiā aliū in una Ecclesia Christū esse, quām in alia: sed  
vbiq; gentiū unum & eundem esse. Atq; hoc ipsum valet aduersus  
Iudeos, & Marcionitas & Manichæos. Minimè vero aduersus  
nos, qui de eo, Dei gratiā, nullo modō dubitamus, nec plures Chri-  
stos fingimus. *Augustinus in Ioan. Euang. tract. 35.* Cyrilli senten-  
tiam explicat his verbis. Sapientia Dei, verbum Dei, Dominus Ie-  
sus Christus vbiq; præsens est, quia vbiq; est veritas, vbiq; est sapien-  
tia. Intelligit quis in Oriente iustitiam: intelligit aliis in Occidente  
iustitiam, nunquid alia est iustitia quām ille intelligit; alia, quam  
iste?

Cyrilli in Ioan.  
lib. 12, cap. 32.

Locus Cyrilli Cal-  
viniano modo  
explicatus.

240 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

iste separati sunt corpore, & in uno habent acies mentis suarum.  
 Quam video iustitiam hic constitutus, si iustitia est: Ipsam videt  
 iustus nescio quot mansionibus a me carne seiuiclus & in illius  
 iustitiae luce coniunctus. Ergo de Christo quā Deus est, intelligē-  
 dum apparet, quod & illuc Cyrus, & hic Augustinus eū ubiq  
 præsentem esse docent. Subiicit n. idem eodem loco Augustinus,  
 Quid miramini? Deus hoc: sed ab homine non potest hoc fieri.  
 Quod si, quia de eiusdem Christi cum vniuersa Ecclesia sua (vbi-  
 cung, terrarum sparsa sit) communicatione agitur, etiā de Christo ho-  
 mine, id est Mediatore sumendum quoq, velint, tamē neq, hoc ipsum  
 omnipræsentiam carnis Christi cōfirmabit: Quia huiusmodi Ec-  
 clesiae cū Christo communicatio, non corporalis præsentia modo,  
 sed sola spiritualis ac ineffabilis insitionis nostrae cū eo ratione  
 fit. Ergo fidē mentis, non os & viscera ventris exigit, haud Chri-  
 stū detrahit illa polo. Tantum verò abest, ut ex ijs verbis Vbi-  
 quitas ista carnis Christi probetur: ut contrà ex iisdem maximè  
 oppugnetur. Si enim qui ubiq, in omnibus Ecclesijs est Christus,  
 est unus: Si quam Christi carnem fideles homines per vniuersum  
 terrarum orbum diffusi participant, unica dunt axat est: Ergo spi-  
 rituali, & cibopyllico præsentia modo: non autem locali sicut illis  
 præsens adest caro Christi. Cuius cōsecutionis ratio est, eaq, neces-  
 saria, quod si Christus corpus suū in singulis orbis Ecclesijs cor-  
 poralis præsentia modo sistere dicatur, vel corporis ipsius multi-  
 plicatio concedenda est: aut unius & eiusdem illius corporis in-  
 finita moles: aut per singula Ecclesiastū loca eiusdem expatio ac  
 extensio statuenda, quorum unumquodq, procul dubio est, &  
 blasphemū, & falsum, & planè monstruosum. Ergo à Cyrillo ipso  
 quem corrupisti, Osiander, euerteris & Vbiuitas carnis Christi  
 refutatur. Nam quod de carbone candente & ignito ex eodem  
 Cyrillo & Basilio profers, ubi duo quædā diuersa sunt simul, neq  
 tamen confusa: & ubi unum alterius proprietates accipit, nepe  
 carbo proprietates ignis (carbo enim ignitus virit) illa sane ve-  
 tus est

eus est vestra cantilena à Luthero & Brentio antea tanquā palma-  
 ria sententia proposita: Deniq; nuperrimè à M. Chemnitio reposita,  
 quia sola vobis maximè plausibilis ratio visa est. At huic etenim iam  
 millies nostri responderūt & quidem perspicue, nempe res esse dissimi-  
 limas, Deitatem in Christo, & ignē seu calorē in ignito carbone. Nec  
 enim Deitas qualitas est, aut aliud quippiam, quod in rem alterius  
 generis transfundi aut misceri possit: ut est calor qui in carbonem  
 trahitur facile. Deinde etiam respondeo, ligno propriè nequaquam in-  
 esse vim illam que vrit: sed eam manere penes ignem ipsum seu calo-  
 re, qui quoniam in illo carbone inest, vrit in carbone. Ergo calor ipse  
 in isto carbone vrit, non aut ipsum lignum, id est, nō ipsa terrena ma-  
 teria. Itaq; vis ista vrens inest, manetq; propriè in ipso calore, non  
 in ligno: sed quoniam calor (qui est qualitas novissimæ) ligno omni ex  
 parte, at q; adiungit w̄c commixtus est: Idecirco cuicunq; rei lignū il-  
 lud candens applicueris, calorem quoq; istum, qui in ligno isto vrit,  
 apposueris & admoueris. Itaq; sic figurato loquendi genere dicimus,  
 lignū vrit, quoniam calor, qui in ligno est, vrit. At Deitas etiam in  
 persona Christi non est humanitati cōmunicabilis, quoniam vt reclē  
 in Chalced. Synodo Patres dixerūt, manserūt in illa vniōne naturæ  
 incōfusæ. Hæc igitur quæ de carbone candente profers, sunt nō modo  
 leuiæ, sed omnino nulla, quemadmodum vides, pro te argumenta, quæ  
 solatu, tuiq; tamen robustissima habere vos censem. Quod etiam à  
 Theophylacto Bulgarorū Episcopo tanquā iam res apud vestros ad  
 Triarios redierit auxilium petis, tu ne ipse Osiander (qui Scurmii  
 iniuriosè lippū pro veteri cōvitiandi more tuo, vocas) tam cœcus es,  
 vt nō videas illa ipsa Theophylacti A.D V E R B V M ex ipso Cy-  
 rillo esse transcripta, & idem apud Theophylactum significare, atque  
 apud ipsum Cyrillum? Quanquam quid venit tibi in mentem, vt in  
 hoc de S. cœna Domini arguento Theophylactū testim citares, quæ  
 pleriq; existiment Transubstantiationē Pontificiam, non consubstâ-  
 tiationem, defendisse, & certè corruptissimis iam Ecclesiæ rēporibus  
 vixit hic Bulgarorū Episcopus, penè postrema Imperij Constantino-  
 politani æate. Miror deniq; Osiander, quomodo tractatā tā misere à

similitudo de  
 carbone can-  
 dente exami-  
 nata.

Theophylac-  
 tus explicata.

## 244 Responso pro Antisturmio D.D.

Sturmio Athleta robustissimo Vbi quis atē tu hoc loco, id est, in postrema  
tui scripti parte rā apertē iam defendas: Cū illius te ipsum aliquor an-  
P. 25. & 10. tē pagellis planē puduerit. Sed antiquum tuum obtines, nimirum ut sis  
in isto tuo dogmate mirum in modum leuis atq. inconstans.

Danæus totus ex imposturis, fraudibus, & calumnijs cōsarcī  
natus alij quoq; sordes has aspergere tentat, & stimans videlicet  
eos ex sua natura, à qua illi alienissimi sunt. Hic n. Osiandrum  
fraudis & ambiguitatis in loquendo accusat: Hoc an iure ab ipso  
fiat, & equus Lector ex octauo argumento suprā posito iudicabit.  
Sed in hac ipsa reprehensione, Danæus mir' ē ineptit, vt nodū in  
scyrpo inueniat, & ambiguitatē in sermone planissimo ostendat.  
Quid. n. sentētia & verbis Osiandri apertiū, Christū vbiq; Ec-  
clesiæ suræ etiā in terris præsentem esse, nō modo secundū diuī-  
nitatē, sed etiā secundū humanitatem? Quę hīc quęlo fraus, quę  
verbōrū ambiguitas est: An nō hoc est malitiosa occasiōne cri-  
minādi quærere? Fraus igitur, Danæe, in te est, quod rei clarissi-  
mæ scrupulum dubitandi iniçis. Non. n. vestro fraudulēto mo-

In Antiosiand. pag. 170. & 108. re dicimus, Christū etiam secundū humanitatem Ecclesiæ vbiq;  
præsentē esse, quia Christo Deo, qui vbiq; est, semper hypostatis-  
cē vñita sit: aut Christū hominē esse vbiq;, quia Deitas, cui hypo-  
staticē humanitas vñita est, vbiq; sit. Nisi aut̄ λόγος sua natura  
adstātēt̄, imperite ac impie diuidere velis, & dicere, purū & sim-  
plicem λόγον, absq; sua carne in terris nobis præsentem esse, in  
cœlo autem Christum, hoc est, λόγον incarnatum existere, sicq;  
duas personas constituerē, purū λόγον in terris, & incarnatum in  
cœlis: necesse est, vt vbiq; λόγος est, suam carnē secū habeat  
non Physico, sed diuīno modo, qui omne dīaskuā excludit, & in  
sua carne non localiter, sed personaliter habitet. λόγος enim  
T O T V S & vbiq; incarnatus est, & nusquā sine carne sua est,  
nisi fingere velis (vt dixi) duplēcē λόγον, in cœlo incarnatū, & in  
terris non incarnatū. Nam vbiq; λόγος est, ibi totus est. Nec  
hīc coextensio, Danæa ruditate fingenda est, cū λόγος nō sit ex-  
tensa quædā & diffusa in infinitū moles, sed spiritus, Ioan. 4. qui  
non

nō habet partem extra partē. Et quia totus λόγος incarnatus est,  
 ideo etiam totus vbiq; suam carnem præsentem habet. Ex quis-  
 bus etiam liquet, te perperam exponere locum Matth. 28. cap.  
 tantum de virtute, potentia, & maiestate, qua Christus vt Deus,  
 nō etiam vt homo vbiq; sit. Christus. n. Deus humanitatē suam  
 supra omnes cœlos ita euexit, vt non sedeat iam in certo quodā  
 Vbi, sed in dextera Dei supra, & extra omnem locum, omniaq;  
 diuino modo impletat, Ephes. 1. & 4. cap. Quod autem Angeli  
 dicūt, Surrexit nō est hīc, quid clarius, quam illos de visibili cō-  
 versatione loqui? Quærebāt, n. mulieres Christū in forma serui  
 & mortui, hac Christus non amplius in sepulchro erat: & Chris-  
 tū vero suo corpore in cœlū, & secundū Paulū, supra OMNES  
 cœlos ascendit, vt nobis visibilē, naturalē, & localem præsentia  
 suā subtraheret: reuera autē modo sessionis ad dexterā Dei vbiq;  
 præsentem omnia impleret. Hoc verbū veritatis multo antiquis  
 us, & certius nobis est, quam omnes ἀθεωπτιοι λόγοι, quos ex Pa-  
 tribus & Scholasticis pro vestra doctrina de absentia Christi ho-  
 minis, in speciem assertis. Et quāuis in fidei capitibus solum Dei  
 verbū dominari debeat, eamq; ob causam Osiander octauū ar-  
 gumentū, vt & priora, tantum Scripturæ verbis cōfirmare vo-  
 luerit: tamen vt etiā antiquitati doctrinā hanc de præsentia to-  
 tius Christi in Ecclesia, notā fuisse ostenderet, testimonia Cyrilli  
 & Theophylacti clarissima subiicit, vt Danæo nihil vanius esse  
 possit, qui scribere audet, Osiandrū NVLLAS OMNINO ar-  
 gumentationū suarū cōfirmationes attulisse. Sed statim ipse mendaciū  
 hoc resorbens fatetur, Osiandrū doctrinam nostram Cyrilli  
 & Theophylacti testimonio confirmasse. Verū in hac ipsa va-  
 nitatis suæ correctione, multipliciter peruersum ingenii suū in  
 vnicā periodo prodit. Primum quod ex duabus testimonij vnu  
 facit. Quāuis. n. idem sensis & eadem proprie verba vtriusq; sint:  
 diuersorum tamē Parrū diuersis temporibus docentū fidem &  
 Confessionē probant. Deinde quatuor quaterniones Osiandri,  
 quos hactenus libellū semper vocauerat, iam nostræ doctrinæ

246 *Responsio pro Antisturmio D.D.*

detrahendi causa, totū librum sycophantice appellat, in quo possit  
 diuturnā defatigationem vnicū modō pro Vbiuitate testimonium ad-  
 duxerit. Deniq; cū Osiander ipsa nuda Cyrilli & Theophylacti  
 verba, nulla syllaba adiecta vel dempta, posuerit: tamen hic Galo  
 Ius cantillat, quod illa malitiosè & pessimè corruperit. Sed cuius  
 criminis Osiandrū iniquissimè accusat, huius se ipse turpissimè  
 reū facit. Cum aut̄ verba Cyrilli clarissima hanc violentam, frigida-  
 m, miseram & miserabilem explicationē Danæ, qua mentē  
 Cyrilli depravare & peruertere sudauit, ceu Sol splendore suo  
 nebulas, dispellat, nostramq; sententiā apertissimè confirmat, in  
 ea conuellenda & labefactanda, cū per se ieiuna ac languida sit,  
 superuacaneā operam sumere nolo. Augustinū (quem Cyrilli  
 sententiā explicare nugaris) tractat. 35. in Ioan. de Vbiue præ-  
 sentia Christi Dei loqui, libetē cōcedimus: Quod vero illā ibi  
 dēChristo homini deroget, hoc pernegamus. Eius n. verba ma-  
 nifesta sunt: Quid miramini? Deus est, Non potest hoc fieri ab homine,  
 Non potest hoc fieri ab ipso sole. Quādo pergit ad Occidentē, deserit Ori-  
 entē, & donec oriturus redeat ad Orientē, non est in Oriente: Dñs autē  
 noster Iesus Christus & venit & ibi est, & redit & hic est. Quod si  
 Dñs noster Iesus Christus hic est, quomodo nō etiam Christus Ies-  
 sus. Et Augustinus scribēs, Non potest hoc fieri ab homine, vniuersaliter  
 de homine, qui nihil quām homo est, loquitur. Humana  
 aut̄ natura Christi, Deo inseparabiliter & hypostaticē cōiuncta,  
 ad dexterā Dei supra & extra oēm locū collocata est, gratia cuius  
 nobis præsens nō localiter, sed diuino modo, esse potest. Ab alio  
 quouis homine hoc fieri nō potest, quia præter hunc nullus in  
 dextera Dei est. Cyrilli verba de omnipræsentia totius Christi  
 stentis, ita aperta & clara sunt, vt oēm Cinglianorū depravatio-  
 nem facile eludant, sc̄q; à corruptela ipsorum, qua Scripturæ  
 & antiquitatis dicta de spirituali tantum præsentia & communi-  
 catione carnis Christi exponunt, perspicuitate sua vindicent,

ut militi ad illam nunc aliud respondere opus non sit, nisi hæc:  
 Christum Cinglianorū non esse omnipotentem, quia illis non  
 potest alia ratione præsens esse, quam qua ipsis videtur, hoc est,  
 quām sua ratione comprehendere possunt, non curantes quid  
 ipse de sua humanitate in verbo suo prædicet. Sed ecce indu-  
 striam Danæi, qua è pumice aquam (quod dicitur) elicere po-  
 test, & contra mentem Cyrilli ostendere, ex verbis ipsius Om-  
 nipræsentiam carnis Christi, vel maxim' oppugnari. Sed quid  
 hic filius tenebrarum aliud affert præter rationis humanæ λο-  
 γιομόρ. Quem quia suprà confutauit, hæc tantum adiçere nunc  
 volo, Paulum de filiis lucis dicere, *captiuum ducimus πάρ νόημα* 2 Cor. 10.  
 in obedientiam Christi: Christus autem ait, Accipite, comedite, hoc est  
 Corpus meum, quod pro vobis datur. Et, Ecce ego vobis sum  
 sum omnib. diebus, &c. Ergo credamus Christo, & νόημα nos-  
 strum ad obediendū verbis eius captiuemus, nobiscū reputan-  
 tes quod etiam secundum humanitatem supra omnes creaturas  
 in dextera Dei vbiq; præsente constitutus, omnem potestatem  
 ac potentiam acceperit, omniaq; subiecta habeat. Et hæc arma  
 sunt militiae nostræ, verba nimirum Spiritus S. quibus demolis-  
 mur λογισμος vestros, qui extolluntur aduersus cognitionem  
 Christi Dei & hominis, eiq; modos præscribunt, quibus solis &  
 non alijs Ecclesiæ sua secundum humanitatem adesse possit.  
 Hoc Danæe non est captiuare νόημα, sed ratione sua Christo  
 dominari, eiusq; sapientiam & potentiam captiuam ducere velle,  
 quod Diabolicæ superbiaz & audaciæ indiciū est. Sed qua mo-  
 ðo arte veteratoria vsus est Danæus in Cyrilli testimonio cor-  
 rumpendo, eandem nunc quoq; experiri tentat in similitudine  
 ferri candentis obscuranda. Verum ut illic turpissimū se dedit:  
 ita hīc non minus pueriliter ineptit. Et primum quidem in eo  
 non plan' aberrat, quod illam cantilenā veterem appellat. Sed  
 in hoc imperito lectori fucum facere studet, quasi à Luthero &  
 Brentio demum proposita sit, cum eā antiqui Patres Origenes,  
 Basilius, Cyrus, Damascenus, & ali⁹ frequentur vñi sint, vt

248 *Responsio pro Antisturmio D. D.*

quæ illis maxime conueniens videretur ad maiestatem Christi hominis declarandam. Verum quām belle tibi ipsi constes Dasnæe, perpende. Suprā Lutherum in partes tuas pertrahere voluisti, nunc eum nobis saluum & à Cinglī Spiritu immunem remittis, pro qua leuitate tibi gratiam debemus & reponimus. Deinde, si millies à vestris similitudinī huic responsum est, miror te adeo inanes in ea diluenda nugas agere. Deitatem in Christo, & ignem in Carbone siue ferro ignito, res dissimilis mas esse, nemo ignorat. Sed in eo non absimiles sunt, quod ut Deitas non qualitas sed substantia est, quæ cum natura humana, quæ res alterius generis est, non miscetur sed arctissimè & intimè vnitur: ita etiam ignis substantia est, non qualitas, quæ cum substantia ferri non miscetur aut confunditur, sed πάχωσα quadam vnitur & coniungitur. Deinde nemo dicit ligno propriè inesse vim vrendi, sed hanc esse & manere propriam igni, physica docet: Communicari autem ligno vel ferro per coniunctionem, sensus communis loquitur, vt etiam ferrum ipsum vrat, quia ignitum est, & totam vim ignis hauslit atq; in se

Cyrillus in Ioh. recepit. Eundem in modum, Cyrillo teste, caro Christi totam lib. 4. cap. 23. Et verbi operationem suscepit, quia illi arctissimè coniuncta est. de incarnatione vnigeniti, ca. 8. Et Damascenus lib. 3. Orthodoxæ fidei cap. 17. inquit: *Caro Domini, diuinis actionibus ditata est propter purissimam ad Verbum vniōnem, id est hypostasin, nequaquam naturalium proprietatum ex cidentiam sustinens. Non enim secundum propriam actionem, sed propter vritum sibi Verbum diuina operatur, verbo per eam, propriam manifestante actionem. Nam & vrit ignitum ferrum, non naturali ratione vstiuam possidens actionem, sed ex vniōne ignis ad ferrum illud obtinet. Cum igitur Danaeus in ijs, quæ per sensum communem & quotidianā experientiam notissima sunt, ita stolidè ludit scribens: Non ipsum lignum vre, sed figurato quodam genere loquendi dici, lignum vrit, quoniam calor qui in ligno est vrit: nemo amplius miretur, hominem istum in diuinis exercitare, & de Christi hominis maiestate tam blasphemie sentire & scribere.* Ex

Ex Scripturæ autem & Patrum testimonij suprà citatis patet, naturas quidem in Christo inconfusas manere: Diuinam tamen, gloriam & operationem suam assumptæ humanitati communicaſſe. Et hac similitudine de carbone vel ferro candente (quæ non nostra, sed antiquitatis est) nos pro Argumento non vtimur, sed ea ostendimus, diuina attributa humanæ naturæ communicari posse, vt tamen substantiæ non confundantur.

Theophylactum non aspernandum, sed multis nominibus commendatum nobis esse debere, Oecolampadius tuus in eum præfatus monuit. Et quamuis non diffitear, ipsum ex Cyrillo sua desumpſisse: vt tamen videas, illa ipsa Theophylacti *A D V E R S A R Y M* (quod tu cæcutiens aīs) ex Cyrillo non esse transcripta, versis illius ostendam. Sunt autem hæc: *Igitur sanctum Corpus Christi indivisibile est, & diuiditur, & communicatur in quatuor partes orbis, ipsum præbens singulis, & vniuersique animam sanctificans, CVM CORPORE PER SVAM CARNEM VNIGENITVS ET INTEGRIN OMNIBVS EST EXISTENS VBIQUE. NVNQVAM ENIM DIVISUS EST.* sicut & Paulus clamat. Deinde non queritur hic, vnde Theophylactus sua descripſerit: sed an Patres etiam in Articlelo de omnipræſentia Christi nobiscum ſenſerint. Hoc cum vos pro vefra impudentia negetis, Osiander vanitatem hanc, Patrum testimonij, qui diuerſis ſeculis Ecclesiam Dei docuerunt, conuincere voluit. Præterea quid venit tibi in mentem, vt cum hic de omnipræſentia Christi hominis agatur, tu pro vertigine tua & volubili ingenio ad diſputationem de coena Domini transilias? Non enim Osiander ex Theophylacto ſententiam nostram de coena, ſed omnipræſentiam probare iſtituit. Et cuius erroris (transubſtantiationis videlicet) tu hic Theophylactum iſſimulas, ab eo ipsum Patres tui in *Korodōgā* ſuo consensu liberant. Sed vt amplius de fide Theophylacti deroges,

1811841  
A 175 3657

250

## Responso pro Antisturmio D. D.

deroges, dicas eum corruptissimis Ecclesiæ temporib. vixisse. Sed quæ hec subtilis argumentatio est, Theophylactus vixit corruptissimis Ecclesiæ temporibus, ergo falsa (vis dicere) sunt quæ scriptis: An non tu modo dixisti, quod illa ad verbum ex Cyrillo transcripsieris? Hic aut̄ Orthodoxorū circa annum Christi 400. facile Prinseps fuit, & vestræ factionis ducem Nestoriū fortissime prostrauit. Deniq; ut tuū libellum à mendacijs ortus es, eumq; totū huc usq; ex mendacijs, calumnijs, nugis, peruersiōnib; errorib; & cōuicijs cōtexuisti: ita ne finis principio & reliquæ texturæ dissimilis esset, eundem impudenti mendacio & conuicijs tibi refūsiūne conuenientib; terminare voluisti. Vbi enim vel quomodo Osiandrum doctrinæ de omnipræsentia Christi hominis (quam vos per contemptū Ubiquitatē vocatis) puduit, quam voce & scriptis semper defendit? Annotas tu pag. 10. quę de ea pr̄sus nihil habet: et pa. 25. in qua nostram de ea Confess. contra Sturmium in hac quidē causa miserrimum bellatorem, fortissimē tuetur. Vbi ergo Osiandrum Confess. huius puduit? Nam in toto Antisturmio nihil huiusmodi legitur. Cum igitur, Danæc; ad oculū demonstrarim, te in toto lī bello tuo, nō modo leuem, sed etiā mirum in modum vanum, impudentem, calumnijs deditū, & in primis in Christum Salvatorem nostrum blasphemū esse, coronidis loco monere te volui, vt hanc in te ipse peruersitatem agnosceres, & exuendā tibi esse cogitates, non tantum quia Christianismū p̄fiteris, sed etiā quia magno Ecclesiæ malo ex Iuris perditore factus es pastor vel potius lupus Ecclesiæ, vt ne hisce vnguis Christi ouibus ipse te prodens ad rābularum consortium, quod quidem cōsultius esset, te proripere co гарис, vbi minori dedecore & periculo, veris tati illudere per similes tui liceret.

F I N I S.